

VALERIUS (JACOBUS).

7631. In Latin, on paper: written in 1635: $11\frac{7}{8} \times 8\frac{1}{4}$ in., vii + 36 leaves: in old vellum binding.

'Ad Legem Secundam Codice De Maleficis et Mathematicis Iacobi Valerij I.C. et Patritij Mediolanensis Notæ. De Vanitate Astrologorum, Diuinatorum, Vatum, Augurum, Haruspicum, Hariolarum, Chaldæorum, Somniorum Interpretum, Genethliacorum, et aliorum Aeruscatorum, qui quæstus gratia sub nomine Mathematicorum et Astrologorum suas adumbrant ineptias'; colophon (fol. 24ᵛ), Madriti, MDCXXXV, IIII. Non. Augusti, Laus Deo, Jacobus Valerius J. C. et Patritius Mediolanensis'; followed by 'Additiones quædam' and index. Written in a fine neat hand, without erasures. Foll. i–iii, 27, 32–end are blank.

'In Madrid / 1703. ii. Agosto / ℞ll. di Bn. B / Z 1 : 10 Monta. Verta.' on the inside of the back cover.





iv

AD
LEGEM SECUNDAM
Codice
DE MALEFICIS ET MATHEMATICIS
Iacobi Valery I.C. et Patrity Mediolanensis
Notæ.

De Vanitate Astrologorum, Diuinatorum, Vatum, Augurum, Haruspicum, Hariolarum, Chaldæorum, Somniorum Interpratum, Genethliacorum, et aliorum Aeruscatorum, qui quæstus gratia sub nomine Mathematicorum et Astrologorum suas adumbrant ineptias.

BENEVOLO LECTORI

Habes, amice lector, nostras ad legem secundam Codice de Maleficis, et Mathematicis lucubrationes: quas forte nota dignas existimaueris: cum in redarguendas Astrologorum, et Mathematicorum prædictiones summa feliciter insudauerint ingenia, quibus nec pares esse possumus, aut profitemur. Pro laboris insumpti excusatione dicimus infinita propemodum scitu digna in illis existere; nos fasciculum earum confecisse rerum, quas ipsi leues fortasse existimarunt: ut nec etiam hæc desint legentibus. Veterum certe poetarum sententias ab illis auctoribus omissas in medium attulimus, pro comperto habentes, plerosq; qui uim argumentorum minime percipiunt, et artis fallacias ignorant, plus clarissimorum uirorum sententijs, quam ratione ipsa moueri. Vale

ELENCHUS

Auctorum in hoc opere citatorum

Accius poeta
Aetius Medicus
S. Ambrosius Eps Mediol.
Ammianus Marcellinus.
Andræas Alciatus
Aristoteles
S. Augustinus
Augustinus Niphus.
Auicenna
Aulus Gellius.

S. Basilius Magnus
Beda uenerabilis
Bias philosophus
Boetius Seuerinus.

Cœlius Rhodiginus
Caietanus Cardinalis
Camillus Maffæus.
Chrisippus philosophus
Christus Dns noster.
Codex Theodosianus
Columella.
Conciliator Il. Mosaycaz.
Concilium Braccarense.
Concilium Toletanum.
Concilium Tridentinum.
Constantinus Cæsar.
Constitutiones Py. V.
Constitutiones Syxti V.
Cæsar Dictator
Dantes
Diocletianus et Maxim. Cæs.
Diogenes philosophus
Dion Cassius.
Dauid. Rex. et Propheta
S. Epifanius
Eudoxus
Ennius
Euripides
Eusebius Cæsariensis.
Ecclesiastes.
Flauius Iosephus
Franciscus Mirandulanus
Franciscus Petrarca.
Flauius Vopiscus.

Galenus
Gaudentius Merula
Gomezius Historicus Arag.
S. Gregorius Magnus

Herodianus
Hesiodus
Hippocrates
Homerus.
Horatius Flaccus.

Io: Barclaius
S. Io: Chrisostomus.
Io: Picus Mirandulanus
Isaias propheta.
Iulius Firmicus
Ius Canonicum
Ius Ciuile
Iustinianus Imp.
Iustus Lipsius
Iuuenalis.

Lex. II. C. de Malef. et Mathem.
Liber sapientiæ Salom.
Lucanus
S. Lucas Euangelista
Ludouicus Dulcius.
Leuinus, Lemnius
Macrobius
Manilius
M. Antonius Sabellicus
Martinus del Rio.
Marsilius Ficinus
Maternus
Mercurius Trismegistus
Minutius apud Octauium.
Nigidius Figulus
Octauius apud Minutium
Orus Apollo
Ouidius.

Pacuuius poeta
Papinius Statius
Pausanias
Paulus I. C.
Pererius in Genesim
S. Petrus Apostolus
Petrus Aerodius.
Palladius.

Phauorinus philosophus.
Philostratus
Pindarus
Plato
Plautus
Plinius.
Plotinus
Porfirius.

Rutilius Numatianus

Seneca
Socrates
Stobæus
Stoici
Suetonius Tranquillus.
Sulpitius Gallus.

Tacitus
Tertullianus
Testamentum Vetus
Testamentum Nouum
Theodoretus
S. Thomas
Thomas Morus.
Tristanus Chalcus.
Tullius Cicero.

Valerius Maximus
Varro
Virgilius
Vitruuius
Vldaricus
Vlpianus. I.C.

Xenophon.

Zozimus.

DIOCLETIANVS
ET MAXIMIANVS
CAESARES
ARTEM GEOMETRIAE
DISCERE ATQ EXERCERE
PVBLICE INTEREST. ARS
AVTEM MATHEMATICA
DAMNABILIS ET INTERDIC
TA OMNINO EST.
S·XIII·CAL·SEPTEMBRIS
CAESARIBVS COSS.

Qui fit, ut aliquis credat, Mathescos disciplinam sacris Cæsarum, ac Imperatorum rescriptis improbari? quasi uero hæc una cæteris facultatibus omnibus antiquitate, et nobilitate non longè præstet? quasi uero hæc una Deorum immortalium non sit inuentum; summo eorundem beneficio hominibus elargitum? Quorsum enim hæc tam pulchra, mirabilis, atq; operosa cæli facies, sempiternis illis ignibus, quæ sydera uocamus, undiq; distincta, et ornata? nisi ut animum ad illud supernum domicilium despondere possimus. quorsum tot planetarum motus? solis circuitiones, accessus, et recessus? lunæq; incrementa et decrementa? et ut inquit Poeta. Hic canit errantem lunam. Solisq; labores. quorsum erecta homini facies? nisi ut per Mathematicas disciplinas hæc omnia intueri, et contemplari ualeat. hinc Senecæ iudicio ingeniosus Poetaz Ouidius

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram
Os homini sublime dedit, cælumq; uidere
Iussit: et erectos ad sydera tollere uultus.

quo modo quis mentem a sensibus auocare? cogitationē ab inferioribus abducere? diuinamq; summi opificii Dei prouidentiam admirari, et bonitatem laudare poterit? si hæc una improbetur, si hæc una tollatur scientia? præsertim cum ne dum sacræ litteræ, sed etiam Etnici eā commendasse uideantur. quandoquidem et Cicero de Natura Deorum illa protulerit uerba. Quid potest esse tam apertum, tamq; perspicuum, cum cælum suspeximus, cælestiaq; contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? prætereo quæ Diuus Paulus Romanis in memoriam reuocat; Inuisibilia nempe Dei per ea, quæ facta sunt, uisibilia conspici; contentus grauissima Esaiæ sententia Atolle oculos in cælum, et contemplare eius opificem, et mundi factorem Deum. Mihi sane quoties cælum intuitor non tam Cæsares hanc uetare, quam Dÿ ipsi suadere uidentur. Illud certe constat, Mathematicorum nomen diuino proximum apud antiquos fuisse, hysq; solum inditum, qui se integros, et castos seruauissent, totisq; animi corporisq; uiribus, huic uix impari Dÿs scientiæ addiscendæ tradidissent, testis mihi sit Anaxagoras

qui eo addiscendæ Mathematicæ desiderio flagrauit, ut patriam, domum, amicos, bona fortunasq; omnes re=linquens in remotissimas partes sit profectus. Testis mi hi Pythagoras, qui degens inter mortales, uitam est imitatus Deorum, quiq; præstantissimis suis institutis Italiam exornauit, et artibus. cuius celebrem nominis memoriam nulla unquam delebit obliuio. Testes eius sint mihi discipuli, qui dogmatibus tam celebris ma=gistri uacantes, in tantum amplitudinis progressi fue=runt, ut uenerabili Mathematicorum nomine cohones=tarentur. Altiores enim disciplinas omnes μαθηματα Græcos appellasse memoriæ proditum est. Hinc Thaleti Milesio, atq; Anaximeni quia Matheseos et Astrologiæ peritis immensos a Græcia tributos honores nemo ignorat. quid est enim per Deum immortalem in hac mundana Republica tam occultum, atq; reconditum, quod solers huius scientiæ studiosus multiplici. subtiliq; indaga=tione non inuestiget, et assequatur. Vt non in terris cum hominibus uersari; sed in supernis cæli domicilijs cum Dijs ipsis colloqui, et assidere recte dixerit ille.

Fœlices animæ, quibus cognoscere primum,
  Inq; domus superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter uitijsq;, iocisq;
  Altius humanis exeruisse caput.
Non Venus, aut uinum sublimia pectora fregit
  Offitiumq; fori: militiæq; labor.
Non leuis ambitio. perfusaq; gloria fuco,
  Magnarumue fames sollicitauit opum.
Admouere oculis distantia sydera nostris
  Ætheraq; ingenio supposuere suo.
Sic petitur cælum, non ut petat Ossan Olympus
  Summaq; Peliacus sydera tangat apex.

Præter uero morum candorem, animi syncceritatem, men=tis puritatem, uitæ sanctimoniam, miramq; rerum omnium cognitionem, quam addiscentibus, et profiten=tibus affert Mathesis: humanis quantum necessitatib; occurrat terræ fruges, ac fructus ipsi declarant, quorum quidem aut nulla, aut certe exigua foret ubertas: ni statis temporibus et certa quadam syderum obseruati=one eos serere et colligere liceret. Quemadmodum

* 3. Varro, Plinius,[3] et Columella, compluresque alij: tum antiqui: tum recentiores scriptores docuerunt; sed præcipue in illis Georgicæ suæ carminibus Virgilius.

Libra diei, somniq; pares ubi fecerit horas,
Et medium luci, atque umbris iam diuidet orbem.
Exercete uiri tauros: serite hordea campis,
Usque sub extremum brumæ intractabilis imbrem.
Necnon et lini segetem, et Cereale papauer.
Tempus humo tegere. et iamdudum incumbere aratris
Dum sicca tellure licet. dum nubila pendent.
Vere fabis satio: et milio uenit aurea cura.
Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, et aduerso cedens canis occidit astro.
At si triticeam in messem, robustaque farra
Exercebis humum, solisque instabis aristis:
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.
Gnosiaque ardentes decedat stella coronæ.
Debita quam sulcis committas semina, quamque
Inuitæ properes anni spem credere terræ.
Multi ante occasum Maiæ cæpere: sed illos
Expectata seges uanis elusit aristis.
Si uero uiciamque seres, uilemque phaselum
Nec Pelusiacæ curam spernabere lentis
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes.

* 4. Fructuum uero nedum sationi, et collectioni, sed etiam[4] vindemiæ, quoque Mathesis, et Astrologia prodesse plurimum solet. quam ueteres insigni obseruatione coluerunt ut refert Plinius historiæ naturalis libro XIIX cap. XXXI. nam XIII. Cal. Septembris hoc est die XX. Augusti Sacerdos Famendialis Vindemiam inaugurari solebat, ut ex Varrone primus notauit Ludouicus Dulcius in Kalendario historiarum mundi. Obseruabatur autem ortus stellæ, quam latini prouindemiasem uocabant. de qua Vitruuius meminit libro IX. cap. VI. postea festum Vindemiæ peragebatur. siue sacrum libero patri propter uindemiam, quod C. Cæsar primus Romanorum instituisse dicitur. quemadmodum asserit Iustus Lipsius, ad Tacitum libro Annalium secundo. porro censuerunt ueteres iustum uindemiæ tempus ab Aequinoctio ad Vergiliarum occasum esse Varro de Re

Rustica libro primo cap. XXXIV. quod tempus Tacitus
definit, adulto Autumno, et sepius de mense Octobri
interpretatur loco paullo ante citato. Vindemiæ
tempus per stellas sic nobis describit Hesiodus.

Cum medio cælo Canis Orionq; uagantur.
Arcturumq; Aurora uidet sibi stare propinquum,
Collige tunc omnes, Perse, de uitibus uuas.
Et bis quinq; dies, nocteq; exponito Soli.
Sint et quinq; dies sine sole. in dolia sexto
* 5 Munera lætitiamq; Dei parientia conde. - s.

si quidem et pastores, et opiliones opportunum tempus
* 6 expectant, quo *greges ad prolem procurandam liberius
* 7. in campis ludere, et excurrere patiantur. *lignatores
etiam, ac carpentarij signa cælestia obseruant sub qui-
bus ligna incidant, et secent, nil eorum arti absq; hac
* 8 obseruatione profutura; cum *nihil in hoc mundi glo-
bo inueniatur, quod cæli, et Syderum influxibus pro
ut fusius alibi dicemus, non subiaceat.

Medendi uero qualis ars foret, ni Mathematicæ et Astro-
logiæ principijs, ac obseruationibus inniteretur. quam
licet Epicorum latinorum Princeps mutam et ingloriam
dixerit Virgilius, quod tota eius uis in actione potius
et operatione consistat, quam in sermonibus, et elo-
quentia collocetur, eandem tamen tanquam a cælo
delapsam magnis encomijs laudat Homerus. cur
tantus in tot herbarum, ac radicum generibus conqui-
rendis labor? cur tanta in eisdem componendis soler-
tia? cur exactissima in singulis uenarum, et arteriarum
captandis momentis cura? si dies deinde ignorentur
quibus medicamenta sint ægrotis adhibenda: si men-
ses ignorentur, et signa negligantur, quibus uenarum
incisio, et sanguinis missio fieri minime debeat.
hinc dies capitales, quos Medici Criticos, seu Cronicos
et decreterios appellant, tantopere obseruati. Non. n.
* 9. a alia ratione Galenus, et Hippocrates duo præcipua
artis medicæ lumina: hos lunæ dies criticos, seu de-
cretorios, quam per Mathesim et Astrologiam in mor-
bis acutis deprehenderunt, cum animaduerterent
horum motus cum lunæ incrementis, et decrementis
prout et Cronicos cum motu solis per Zodiacum oblique

excurrentis maximam proportionem habere. quicquid
Jo: Picus Mirandulanus ingenij potius acumine, quam
ueritate confisus in contrarium astruere sit conatus.
qua qui caret scientia animarum potius nostrarum
negotiatoris, ut Plinij senioris uerbis utar, quam medici
nomine mihi dignus uidetur. prout abunde Mercu=
rius Trismegistus probauit in eo maxime tractatu
quem Iatro mathematica inscripsit: Galenus * in suis * 9
agrotorum prognosticis: idem Marsilius Ficinus de triplici
uita; Ptolomaeus, et uniuersa Mathematicorum Schola
asserentium nedum utile, sed quam pernecessarium esse
medico noscere cœli statum, faciem, et posituram, sub
qua ægrotus se male habere capit, ut illi opportuna
applicentur medicamenta, uel minus idonea subtra=
hantur. si quidem in exortu, et occasu nonnullarum
stellarum maximas animaduertimus fieri mutationes, * 10
per quas corpora bene ualentia, multo magis ægro=
tantia alterantur. de quibus longum instituit sermo=
nem Aetius sermone tertio de Medicina cap. quarto.
atq; ideo maximam in medicinis ægrotis exhibendis
adibendam esse curam, ne tempore illo præbeantur,
quo nullum ab ægritudine, aut morbo leuamen. sed
maximum illis incommodum afferre possunt. Au=
gustinus insuper Niphus Suessanus Mathematicus
sane celebris, et Medicina apprime insignis libro III.
de diebus decretorijs enunciatione VII. dicit si morbi
principia, et cæli facies a Medico probe teneantur. po
terit de exitu ipsius morbi recte, et tuto prædicere, sed
si ista medicus ignoret non esse de prædictionibus
illius quicquam curandum, tanquam nulla firmitate
subnixis. quamuis et casu, quo uera esse possint, illam
in his enuntiandis modestiam, et moderationem adhiben=
dam esse suadet, quam Ptolomaeus primo, post Beatus
Thomas, Concilium deinde Tridentinum. et postremo
Constitutio tum Pij V. tum Sixti V. Summi Pontificis.
cunctis Medicinam profitentibus præscribit. quas Con=
stitutiones, licet ipse uidere non potuerit, quippe qui
multo ante prædecesserit, nobis tamen addere placuit,
quia sint de hac eadem moderatione tractantes, ut nemi
ni dubium esse possit, quin Mathesis Medico sit necessaria.

Quantum uero Mathematicæ Rei militari sint adiumento ex eo intelligi potest, quod nullus sit Princeps, aut nobilis, qui hodierna die rem bellicam tractandam suscipiat, qui prius egregiam in Mathematicas addiscendas non impenderit operam. Notum est quibus molibus, et machinis Syracusas patriam a Marco Marcello obsessam atq; oppugnatam non semel Archimedes sit tutatus. qua enim ratione Dux poterit exercitum bene ducere, loca opportuna bene munire, phalanges dilatare, copias iuxta loci angustias contrahere, fluuiorum profunditatem metiri, tormenta bellica apte disponere si Mathematicarum sit expers. In solis autem, et lunæ defectibus, quot florentissimi exercitus essent acti præcipites si Duces eorum supremi Mathematicæ, et Astrologiæ principijs non fuissent initiati. Agathoclem Siciliæ Regem, non minus armis, quam scientia, et animi moderatione præclarum consternatos defectu Solis militum animos erexisse, causas defectionis declarando, quam primus omnium Thales Milesius assignauerat. prout et lunæ Anaxagoras, accepimus. E contra uero Nicias Carthaginensium Imperator, cum eandem urbem Syracusas obsideret, et irritus esset conatus, cum se fuga tutus periculis eximere posset, ratus lunæ defectum exercitus internecionem portendere, ab fuga ea nocte abstinuit. Insequenti die nocte cum castra mouisset, a ciuibus circumuentus florentissimum illum exercitum perdidit, quem Mathematicarum et Astrologiæ peritus ab internecione seruasset. Quod infortunium ne Romanis accideret C. Sulpitius Gallus Solis, et lunæ defectum multo ante quam eueniret suis militibus prædixit, et qua ratione lumen utrunq; deficeret, euidentissimis probationibus

* ii demonstrauit.* Summis igitur Ducibus, qui ex animi sententia rem militarem bene tractare, patriamq; ad altissimum gloriæ culmen euehere nomenq; proprium immortalitati consecrare cupiunt Mathematicas esse necessarias nemo non uidet.

Non minus uero quam Res Militaris hac indiget facultate Nauigatio per se plena timoris, et periculi. quis enim tam obfirmato pectore esse potest, quin ei maximum

incutiant horrorem Horatij aut Virgilij carmina.

Illi robur, et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus. nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus:
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti.

sed quid impedit, quominus Virgilium ipsum de maris timore atq; horrore ita disserentem audiamus.

Incubuere mari; totumq; a sedibus imis
Vna Eurus, Notusq; ruunt, creberq; procellis
Africus: et uastos uoluunt ad littora fluctus.
Insequitur clamorq; uirum, stridorq; rudentum
Eripiunt subito nubes cælumq;, diemq;
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus æther.
Præsentemq; uiris intentant omnia mortem.

et alibi

Talia iactanti stridens Aquilone procella
Velum aduersa ferit, fluctusq; ad sydera tollit
Franguntur remi: tum prora auertit, et undis
Dat latus: insequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi summo in fluctu pendent. his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit, furit æstus arenis.

qualis igitur per Deum immortalem absq; planetarum et syderum cognitione, atq; obseruatione nauigatio ista futura? propterea recte monebat Hesiodus, ne sub signis cælestibus tempestates excitantibus, rei nauticæ operam daremus hisce uerbis

At tibi difficilis res si sit nautica cordi,
Tempore quo Eoæ Atlantides Oriona
Vitantes sæuum, pelagi conduntur in undas,
Omnigeni miscent inter se prælia uenti.
Hinc tua nulla mihi currat in æquore nauis.

quomodo maris incommoda pluuias, imbres, et tempestates euitabimus, si nimbosus Orion, si Arcturus, si pluuiæ Hyades geminiq; Triones ignorentur. Astra etenim, et planetas, turbines, fluctus, et tempestates marinas concitare libro primo Aeneidos testis est Virgilius in illis carminibus.

Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion
Per uada caeca tulit, penitusq; procacibus Austris
Perq; undas superante salo, perq; inuia saxa
Dispulit. — Et in suis rithmis Petrarca.
Al' hor riprende ardir Saturno, e Marte
Crudeli stelle, et Orion armato
Spezza a tristi nocchier gouerni, e sarte.

In hisce uero tempestatibus quomodo nautae classem uel ad portus, uel ad loca tuta appellere poterunt, si astror. dimensio illis per Mathesim non innotescat, hoc Virgilius sub persona Palinuri classis Aeneę praefecti. libro paullo ante citato sic expressit. — Nec littora longe
Fida reor fraterna Ericis, portusq; Sicanos.
Si modo rite memor seruata remetior astra.

Praeterea accuratam illorum syderum notitiam, quae uentos nauigationi secundos difflare, et nauigantibus propitia esse solent, prout Castores, Helenae sydus et similia quorum cognitio non minus quam maria perturbantiū est necessaria. de quibus sic cecinit Homerus.
Taygeti peperit Leda hos sub uertice montis
Aethereo coniuncta Ioui, cui sydera parent.
Hae peperit miseros seruantia pignora nautas
Atq; rates, dirae quas inuasere procellae.
Hybernae, ut pelagi fremit implacabilis aestus.
Tunc etenim nautae summa de puppe uocarunt
Voce Iouis pueros. —— Et Horatius.
Dicam et Alcidem, puerosq; Ledae
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem, quorum simul alba nautis
Stella refulsit.
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt uenti, fugiuntq; nubes,
Et minax (sic Dy uoluere) ponto
Vnda recumbit.

Ad nauigationem igitur Mathesis maxime conducit. ob eamq; caussam Homerum ab optimis scriptoribus merito fuisse laudatum dixeris, quod Vlyssem sapientissimum inter Graecos ducem ex astris non solum de nauigatione instituenda, sed de rebus etiam in terra gerendis coniecturam sumentem inducat.

cum tot igitur, tantaq; commoda tum ad hominum
uitam: tum ad gloriam sibi, patriaq; comparandam,
et augendam utilia, atq; necessaria ex hac una scientia
proficiscantur: eandem uetitam atq; improbatam asse=
rere mihi religio esset: ni probe tenerem nihil in hac
mundana Republica tam sanctum, purum, integrum
ac syncerum reperiri. quod hominum temeritas, scelus,
et audacia polluere, uiolare, et comminuere non possit.
hinc factum est, ut Mathematicæ, quæ prius humanis
solum necessitatibus Agrorum culturæ, fructuum sationi
et collectioni, Medicinæ. Rei Militaris usui, ac nauiga=
tioni inseruiebant. quo nomen honestius ex astrorum co=
gnitione atq; obseruatione sibi uindicauerant, eo turpius
eorum fallacijs fuerint labefactatæ, qui* se ex eorundem * ii 6
syderum motu futura atq; euentura prænoscere hominumq;
fata prædicere posse profitebantur. Eoq; istorum Genethli=
liacorum processit impudentia: ut qui inter homines
abiecti, et a bonis disciplinis, et artibus omnino degeneres
essent, quiq; ad turpe compendium, deformemq; stipem
captandam stellarum effutirent decreta, qui uim fati in=
aniq; inquisitione in circulis, tonstrinis et plateis cuiusq;
futuros euentus ad fallendos infirmi iudicij homines
colligerent*, quo se humana conditione celsiores uendita= * ii c
rent, honesto et liberali Mathematicorum nomine suas
adumbrarunt ineptias. cum potius Assyrij, Chaldæi, Ha
rioli, Augures. Haruspices, Extispices Diuinatores, Vates,
Vaticinatores, Somniorum interpretes essent appellandi:
quippequi a uero Matheseos tramite non leui argumento
deuient, quibusq; licet sit in usurpatione nominis aliqua
coniunctio, non leuis tamen in morum probitate, uitæ
honestate, scientiaq; principijs dissimilitudo conspiciatur.
cum ueri Mathematici publico bono: isti uero, qui tale no=
men sibi falso adsciuerunt, priuatæ caritati sint propiores.
ut si conferantur inuicem in istis Aerusicatoribus flagitij
prauitas: in ueris Mathematicis pudor, et uirtus elucceat.
Hos ego iure merito comparauerim duabus urnis (absit
temeritas) Iouis ante tribunal existentibus, a quarum
prima dimanabant omnia bona, a secunda uero om=
nia mala diffluebant. Nec dissimili quidem ratione
Chaldæis istis Mathematicorum nomen inditum fuit.

quam olim sceleri Iuris prærogatiua tributa fuerit. ut
Lucanus cecinit. Iusq; datum sceleri canimus. Ita qui
gentili, et proprio uocabulo Chaldæi fuerant nuncu=
pandi, eosdem uulgus callidis istorum corruptum
imposturis Mathematicos, et Astrologos nominauit.
* 12 Hinc detectis* laruis ex falsi nominis contagione plu=
rimum fœditatis, in sacræ, et ueræ Matheseos, ac As=
trologiæ penetralia proserpsit: Hinc populo inter
ueram, et falsam Mathesim non distinguente, Mathe
* 13. maticorum nomen odio habitum, arti non prior
habitus honos, hinc facultatis utriusq; praua sugilla=
tio: hinc graue in illarum sectatores, et studiosos Ma=
gistratuum supercilium, hinc uaria Prætorum edicta
improbas istorum fallacias præcludentia; hinc cre=
bra Senatusconsulta eosdem ab honestis hominum
cœtibus, ab ipsis quoq; urbis æternæ mœnibus, ac totius
Italiæ conspectu, ni maleficam desiissent artem, exter=
minato rigore propellentia. De quorum uanitate
non mihi animus est longum instituere sermonem.
quis enim orationem felici antiquorum stilo condi=
tam, districtamq; contra Chaldæos istos censuram
uel attentiore cura, uel præstantiore facundia, uel
maiore ingenij acumine, uel solidiore doctrina
æquare se posse sperauerit? quis immensa eorum uo
lumina unius breuis orationis ductu perstrinxerit?
quis paruo immensum mare, Adriaticosq; gurgites
uasculo claudere posse præsumet? Præsertim cum
sciam Phauorinum uetustis sane temporibus magni no=
minis, existimationisq; philosophum. Auorum uero nos=
trorum memoria Ioannem Picum Mirandulanum
Italiæ phœnicem, duodecim integris libris. Camillum
Maffæum et Ioannem Barclaium disertissimum ætatis
nostræ scriptorem, aliosq; neotericos quamplures de
istorum uanitate adeo copiose, atq; ornate eloquutos,
ut cæteris omnibus scribendi præripuerint facultatem.
Verum sicut in lautissimis conuiuijs multa instrui solent,
quæ abiectioris fortunæ hominibus comedenda relinqu=
untur. Ita hæ nostræ fuerint lucubrationes: ut si quis
a cœlesti tot nobilium scriptorum ambrosia per aliquod
modicum temporis spatium abstinere uelit ad nostra

fercula non adeo exquisita, sed qualiacunq; sint accedere ualeat: fit enim plerunq; ut acria palatum dulcibus assuetum excitare soleant. quæ si animum ingenijq; uires alere minime poterunt. in causa tamen fuerint, ut lectores, et conuiuæ ad pristinas tot luculentorum dapes maiore cum animi uoluptate redire cogantur.

Nec pro istis quasi Chaldæis cum Ptolemæo, aut cum Ammiano Marcellino dixeris Mathematicam disciplinam, quæ Iudiciariam complectatur, ueram esse, atq; indubitabilem quatenus considerat influxus astrorum, et planetarum in hæc corpora inferiora. de quibus Mathematicus prædicere possit. Sed si prædictiones aliquando minus ueræ sint, non scientiæ id esse imputandum, sed quia Mathematicorum ingenia in contemplandis corporibus cælestibus sæpe deficiant. unde ex deficientia intellectus, et non scientiæ prædictionibus effectus minime respondent. hæc Ptolemæus. Ammianus uero Marcellinus non contemnendus historicus hisdem assistit, asserens hanc præsciendi scientiam sub malis artibus non esse reponendam, nec homine apprime erudito, scientiarumq; studioso indignam. quamuis uulgus imperitum, quod uirtutes fere omnes odit, hosce Mathematicos, et Astrologos futura prædicentes exibilet, et insectetur. Non esse mirum si cælestibus cognatæ mentes ex supramemoratis futura discernant. quandoquidem elementorum omnium spiritus, utpote perennium corporum, præsentienti motu semper et ubiq; uigens participat nobiscum munera diuinandi, et substantiales potestates ritu diuerso placatæ, uelut ex perpetuis fontium uenis uaticina mortalitati suppeditant uerba. Auguria igitur, et auspicia non uolucrum arbitrio futura nescientium colliguntur. sed uolatus auium dirigit Deus, ut rostrum sonans, aut prætteruolans pinna turbido meatu, uel leni, futura præmonstret. Amat enim benignitas numinis, seu quod merentur homines: seu quod tangitur eorum affectione. his quoq; artibus prodere, quæ impendent. Extis item pecudum attenti fatidicis in spes conuersi sucis innumeras accidentia sciunt. cuius disciplinæ Tages inuentor: quamuis et Lycios per pisces haruspicinam exercuisse constat. Aperiunt quoq; uentura, cum æstuant hominū corda, sed loquuntur diuina. Sol enim ut aiunt physici

mens mundi nostras mentes ex se se diffunditans uelut scintillas, cum eas incenderit uehementius futuri conscias reddit. unde Sybillæ crebro se dicunt torrere ardente ui magna flammarum. Quanquam ad naturalem, et phýsicam caussam nonnulli hanc diuinationis speciem alio principio referant, asserentes mundum hunc animal esse omnibus suis numeris absolutum. quod omnes sui partes, et membra cuncta uitali spiritu permeans animet, mirabili quodam armoniæ temperamento (a solidis igitur his partibus) terra nimirum, ut ab animali multi exeunt, et expelluntur anhelitus, a quibus tot diuersæ inter se consequutiones dimanant. Vnde enim tot locorum diuersitates, tot uariarum genera aquarum: unde tot, et tantæ totius differentiæ constare dicuntur. nam multi salubres, et temperati sunt situs, quidam insalubres, et graues. pestilentes alÿ, nonnulli lethales, et uenefici perhibentur. non mirum igitur si aliquo terrarum sint aquæ, antra, uel speluncæ, ex quibus exeant spiritus, qui hominum mentes, atq; animos ad futurorum præsagia suapte ui pronos, et procliues concitare, et inflammare ualeant. ut de crateribus Palicis aquarum scaturigine semper ebullientibus apud Symætum in Sicilia fluuium auctor est Macrobius Saturnalium libro V. cap. xix. de cisterna templi Asaceni in Aegypto multa fatidica meminit in uita Aureliani Zosimus. De fonte Oraculi Apollinis Tirxæi plura Pausanias in Achaicis. De antro Trophonÿ idem in Bœoticis. De luco Albuneæ Tyburtino Virgilius Aen.

At Rex sollicitus monstris oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucosq; sub alta
Consulit Albunea: nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sæuamq; exhalat opaca Mephitim.

et de Cortyna demum Delphica idem Virgilius paullo post allegandus. In Delphico enim Apollinis templo antrum erat, ubi sedens Pythia præcinebat oracula, et in eo remotior quædam pars, quam Cortynam appellabant. ex qua fatidicus ille sonus, seu spiritus non eodem semper modo sed aliquando intensior, aliquando remissior exhalabat

Vix ea fatus erat, tremere omnia uisa repente
limina, laurusq; Dei, totusq; moueri
Mons circum, et mugire adytis Cortyna reclusis.

multa super his significant crepitus uocum, et occurrentia
signa. Tonitrua quin etiam, et fulgura, et fulmina
sidemq; syderum sulci. de quibus idem poeta libro v.

His oculis subito obijcitur magnoq; futurum
Augurio monstrum: docuit post exitus ingens
Seraq; terrifici cecinerunt omina uates.
Nanque uolans liquidis in nubibus arsit arundo
Signauitq; uiam flammis, tenuesq; recessit
Consumpta in uentos, cælo ceu sæpe refixa
Transcurrunt, crinemq; uolantia sydera ducunt.

somniorum autem rara fides: et indubitabilis foret, ni
ratiocinantes conicctura fallerentur. Interdumq; ut
Aristoteles affirmat, infixa sunt et stabilia. cum animan=
ti alsius quiescentis ocularis pupilla neutrobiq; inclinata
rectissime cernit. Et quia uanities aliquoties plebeia
strepit hæc imperite mussando. si esset præsentiendi no=
titia quædam, cur ille se casurum in bello, uel alius hoc
se passurum ignorauit. nam illud sufficit dici, quod
et Grammaticus loquutus est interdum barbare, et ab=
surde cecinit musicus, et ignorauit remedium medicus,
et non ideo. nec Grammatica, nec musica, nec medicina
subsistit. Vnde præclare hoc quoq;, ut et alia Tullius.
Signa ostenduntur a Dijs rerum: in his si quis errauc
rit, non Deorum natura sed hominum conicctura pec=
cauit. Hæc magna ex parte Ammianus Marcellinus.
Ad cuius, et prædictorum auctoritatem corroborandam
illa in medium afferri possunt antiquos existimasse hanc
mundanam Rempublicam diuino spiritu esse circumfusam,
atq; repletam, quem prius astra, deinde aues, post homi=
nes, et ultimo loco bruta participent unde Virgilius.

Principio cælum, et terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit. totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet
Inde hominum, pecudumq; genus, uitaq; uolantum.

Primum igitur et præcipuum diuinationis gradum astris ab 7
omni concretione mortali, et contagione terrena remotis
assignant, quippequæ diuinæ naturæ propius accedant. 8
ciusq; symbolum ex Oro Apolline omnino referant, hinc fit,
ut cuncta, quæ in sensibili natura fiunt, cælestibus subiecta

influxibus, secundum syderum ortum, ac positionem a Mathematicis bene osseruatam prænunciari posse autument. Neque uero per hanc rerum præscientiam diuini numinis amplitudini quidquam detrahi: cuius iussu hæc ipsa uis indita syderibus insit: quippe Deus non adeo se abdicauit potestate, ut rei supersint innumeræ, quibus se uel propitium, uel uindicem prodat. atq; persuasum omnibus esse debere cælum motu suo sempiterno in inferiora agere, atq; aerem ex cæli temperie, et conditione uel turbatum uel placidum se ipsum insinuare in mortalium corpora ex quorum deinde afflatu inclusi animi inspiratos affectus accipiant, concipiant, et diuinent.

Proxima diuinationis species desumitur ab Auibus, credebant enim antiqui, ut supra dictum est, Iouis spiritum per uniuersam hanc mundi molem diffusum huic animantium generi se se magis acommodare: uel quia cæteris animantibus altius exurgant, et uolent. uel quia in aere puriore uersentur, et sint sensu subtiliore præditæ quia purissime uiuant: uel quia raro terris insideant. omni scelerum contagione pollutis: in quibus Thyestis cenæ, Infames Busiridis, Procustis, Lycaonis, Diomedis, et Lestrigonum artes hodierna quoq; die in hominum perniciem exercentur. Eiusdem sententiæ uidetur fuisse Papinius Statius libro Thebaidos.

Ditior ille animi, cui tu Dictæe secundas
Impuleris manifestus aues. mirum unde. sed olim
Hic honor alitibus. superæ seu conditor aulæ
Sic dedit effusum Chaos in noua semina texens:
Seu quia mutatæ, nostraq; ab origine uersis
Corporibus subiere notos: seu purior axis
Amotumq; nefas: et rarum insistere terris

Aues igitur internunciæ decreti Iouis dicuntur esse, et diuinæ uoluntatis consciæ. in quas etiam sæpissime Dy se conuertere solent. ac propterea desumendis augurys opportunæ uel ex earum uolatu, uel occentu, uel clangore uel garritu. unde Idem Papinius in hunc cecinit modum.

Iuppiter omnipotens, nam te pernicibus alis
Addere consilium, uolucresq; implere futuri
Ominaq;, et causas cælo deferre latentes.

Postrema diuinationis species per exta, et fibras pecudum

constituitur in maximo apud Etruscos honore, cuius inuentor perhibetur Tages, ut supra dictum est, et a Romanis egregio Accij Nauij facinore, qui nouacula cotem diicidit summopere illustrata. cum nihil in Republica gereretur, nisi extis prius inspectis, uel auibus de cælo seruatis. qui uero hæc omnia colligerent, et interpretarentur uates, diuini, et interpretes Deoꝝ uocabantur. uno Mathematicorum nomine nuncupati. Hinc poeta

Troiugena interpres Diuum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarij lauros, qui sydera sentis,
Et uolucrum linguas, et præpetis omina pennæ.

Et alibi

Tertius ille hominum Diuumq; interpres Asylas
Cui pecudum fibræ, cæli cui sydera parent,
Et linguæ uolucrum, et præsagi fulminis ignes.

Illud circa linguas auium obiter adnotasse non pigebit, nonnullos in hac augurum arte tam perditos fuisse, ut non solum uolatum, et occentum seruarent, sed etiam uolucrum linguas tanquam futuri, et rei cuiuscunq; significatrices sibi notas, et perspectas esse significarent. qua in re non minimum apud antiquos Melampum et Pythagoram insudasse memoriæ proditum est. Apollonium uero Thyanæum, quē * 14. a
per summum scelus Philostratus eius uitæ scriptor Christo Domino nostro comparare ausus est, eo temeritatis, et audaciæ progressum accepimus, ut inarticulatis auium uocibus uarias, et sibi notas tribueret significationes. nunc in semitam reuertamur, Porro maximam in Republica hos Chaldæos Augures, et haruspices habuisse auctoritatem illud in argumento est, quod difficillimis Romanæ Reipublicæ temporibus L. Aquinius haruspex in Senatum uenire iussus religionum requirendarum gratia, quid esset propter quod toties inter paucos annos tam male esset afflicta Romana Respublica, disseruisse, et abunde constitutum fuisse, quibus diebus res diuina fieri deberet, et quinam dies atri. qui præliares, qui puri, et comitiales habendi, quasi uero ab Augurum et Haruspitum præmonitis, et * 14 b
unius Aquinij consilio Populi Romani penderet salus. Quantum etiam ueritatis et existimationis apud antiquos ars auguralis et Extispicina Mathesis filia complexa sit, operæ pretium est eloquentiæ parentem Ciceronem hac de

re duobus in locis disserentem audire. Qui statas inquit solemnesq; caeremonias. Pontificatu. rerum bene gerendarum auctoritates Augurio. fatorum ueteres praedictiones, Apollinis uatum libris. Portentorum explanationes. Etruscorum disciplina contineri putauerunt. quae quidem tanta est, ut nostra memoria primum Italici belli funesta illa principia post Sullani, Cinnaniq; temporis extremum pene discrimen, tum hanc recentem urbis inflammandae, delendiq; Imperij coniurationem non obscure nobis paullo ante praedixerint. Et alibi. Quo quidem tempore cum Haruspices, et tota Etruria conuenisset, caedes, atq; incendia, et legum interitum, et bellum ciuile, ac domesticum, et totius urbis ac Imperij occasum appropinquare dixerunt, nisi Dij immortales omni ratione placati sub numine prope fata ipsa flexissent. Hac Cicero Vniuersam Haruspicum disciplinam egregie de more hisce carminibus complexus est Papinius Statius. Tunc innuba Iuno

Exceptum pateris praelibat sanguinem, et omnis
Ter circum acta pyras sancti de more parentis
Semineces fibras, et adhuc spirantia reddit
Viscera, nec rapidas cunctatur frondibus atris
Subiectare faces, atq; ipse sonantia flammis
Virgulta, et tristes crepuisse ut sensit aceruos
Tiresias illi non plurimus ardor anhelat.
Ante genas, impletq; cauos uapor igneus orbes
Exclamat, tremuere rogi, et uox impulit ignem.

Non me fugit pleraq; alias sumendi augurij species sub generali Mathesis significatione contentas apud Romanos fuisse, ut sortes Lyciae, Antiates, et Praenestinae, sed praecipue tripudium, quando primo diluculo, duobus pullis in cauea seruatis imperato de more silentio puls aut offa, reclusa cauea obijciebatur. si negligerent cibum sinistrum auspitium erat, si auide depascerentur, ita ut aliqua ex rostro deciderent, et terram ferirent dicebatur Solistimum tripudium, et habebatur secundum. Pauire etenim ueteribus idem quod ferire inde dictum primo terripauium, deinde terripudium deniq; tripudium, idem et soniuium a sono, quem puls edebat cadendo, quod acceptum referimus Martino

del Rio disquisitionum magicarum libro IIII. capite II. quæstione VII. sectione II. Germanos autem ab hinnitu, et fremitu equorum auguria desumpsisse auctor est Tacitus. cuius de moribus eiusdem gentis illa sunt uerba. Proprium inquit Gentis equorum quoq; præsagia, et monitus experiri. publice aluntur hysdem nemoribus et lucis candidi, et nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdotes, ac Rex, uel princeps ciuitatis comitantur, hinnitusq; ac fremitus obseruant, nec ulli auspitio maior fides. Reliquas diuinandi species consulto prætereo; cum me pudeat in his commemorandis ineptijs iam diu antiquatis, et obsoletis tot temporis insumere, de quibus mentionem aliquam facere coactus sum, non quia scitu dignas illas existimarem, sed ut easdem ordine aliquo confutarem, et refellerem. Maximæ enim summo opifici Deo gratiæ sunt agendæ. quod per Christum unicum eius filium, mundi seruatorem, et dominum nostrum uniuersa fallacium oraculorum, et præsagiorum multitudo conticuerit. templa fatidica ita euersa, ut nulla eorundem supersint uestigia, antra siue speleæ disiecta, excisi luci, corrupti fontes, aræ prostratæ. Sortes sublatæ, combusti libri, obliuioni datus uictimarum delectus, explosi sacerdotes, irrisi magistri, et tam uanæ artis sectatores puniti, Deorumq; gentilium nomina, uel ignota, uel neglecta. Nunc de Mathematicorum uanitate disseramus.

Chaldæorum non minus uanam, quam perniciosam artem esse, qui sub falso Matheseis nomine, ex signorum cælestium constitutionibus, syderum fixorum exortibus, planetarumq; errantium motibus, futura prædicere, et fata cuiusq; prænuntiare posse profitentur. duodecim integris libris omni doctrinæ, et eruditionis genere refertis, ut reliquos taceam, demonstrauit Joannes Picus Mirandulanus, quibus nihil absolutius legi posse crediderim. nos messorum morem imitantes, spicas nonnullas, uel ab eo prætermissas, uel neglectas colligere tentauimus, eidem de tam copiosa messe nihil aufferentes. Vt uero sciatur de quo præcipue disputetur Animaduertendum est omnia corpora sublunaria in triplici uersari differentia. quædam enim habent esse uegetatiuum. sub quo continetur generatio, augmentatio, et nutritio. et istud dicitur omnino

naturale. nec in hoc maiorem habet homo, quam lapides,
quam plantæ, quam animantia reliqua, prærogatiuam.
quædam habent esse intellectuale, ut homo, cuius actiones
et operationes a sola ratione, et discursu diriguntur, et a
meditatione, et contemplatione perficiuntur. et hic modus,
ut omnino spiritualis, nihil habet cum naturali commune. * A 14.
et quemadmodum per hunc unum a cæteris animantibus
homo seiungitur. sic per eundem supernis illis mentibus
cæli incolis affinis, atq; cum hysdem participare uidetur.
quædam postremo habent esse sensitiuum. et hoc in duas
diuiditur partes, alteram: enim subycitur rationi, et ad
intellectuale accedit, ut habere iustitiam temperantiam
fortitudinem, prudentiam, magnificentiam cæterasq; uir-
tutes morales. Altera uero cum brutis participat, et ali-
quando in hac homo brutis ipsis est inferior, ut in præ-
rogatiua uisus, odoratus, auditus, gustus, et his simi-
libus. Homo igitur quatenus habet animam uegetatiuam,
et sensitiuam in ea parte, quam cum brutis participat,
negari non potest, quin cælestibus subdatur influxibus.
* 15 cum in hominis potestate non sit, ut illo magis, quam
altero die uel mense generetur, oriatur, cum fœda uel
liberali facie formetur, parum crescat, bene uel male
nutriatur. et cum bona uel mala ualetudine adolescat.
in his enim operationibus cælum et astra maximam
sibi uindicant partem, cum prædicta omnia commodius
a natura elargiantur, quibus sydera propitiora fuerunt.
At respectu animæ intellectualis, qua homo similis est
Deo, quod uirtutes sectetur, et uitia abhorreat, quod
humano generi beneficus, et ab eo damna depellet, quod
bene discurrat, et melius operetur. quia iste operationes
a ratione prouenientes in nostra sint potestate, et a li-
bero hominis arbitrio proueniant. a cælestibus influxi-
bus nihil mutuantur, et a syderum et planetarum af-
* 16. fectionibus, et effectibus omnino independentes. quibus
etiam in contrariam partem inclinantibus per intellectũ,
discursum, et rationem resistere possumus, iuxta com-
munem, et saniorem philosophorum sententiam, dicentiũ,
quod Homo sapiens astris dominari sciat. prout eandem
firmarunt Chrisippus, Plotinus, et Boetius, et fortasse etiam
Aristoteles. Quod si anima nostra a prædictis deuiet. id

non consequitur, quia compellatur aut cogatur ab astris, super humanis actionibus dominium aliquod aut potestatem habentibus, sed quia a sensibus corrupta corporis affectiones magis quam ratio postulet sequatur.* quando igitur Mathematicam uanam et inutilem asserimus, non eandem talem intelligimus respectu corporum uegetabilium, et sensibilium, quin ex his multa signa naturalia sciri et prædici a Mathesi possint. nam cum sine aliqua liberi arbitrij resistentia ab astris influxus recipiant, eorundem etiam proprietates, et naturam sequi non incongruum est asserere. sed eandem uanam et inutilem testamur; quatenus ex signis calestibus, et planetis futura contingentia præscire se uenditat circa humanas actiones non ab astris et planetis, sed a sola uoluntate, et libero arbitrio dependentes. Neque uanam eandem profitemur ex Ptolemæi et Ammiani Marcellini sententia quia Mathematicorum scilicet ingenia in astris planetisq; contemplandis sæpe deficiant: sed quia ista de futuris contingentibus circa hominum actionēs præscientia, atq; diuinatio nullis certæ scientiæ principijs innitatur. quia si talis esset, ut a leuioribus incipiamus summi Philosophi Eudoxus, Plato, et Aristoteles, qui nihil in natura intentatum reliquerunt. pro huiusmodi scientia penè diuina consequenda, totis animi corporisque uiribus incubuissent, sed præcipue admirabilis ille naturæ interpres Aristoteles, qui cum tot ingenij monumenta sui, de physico auditu, de cælo, de Meteorologicis de partu, et animalium scripsisset natura, maximumq; excurrendi per hanc diuinationis materiam campum, eandem tamen perpetuo silentio suppressit, tanquam solida ueri philosophi meditatione et indagatione minime dignam. quippequi contrarias huic prædictioni conclusiones adstruxerit. esse nempe certam philosophorum opinionem, ab antiquis usq; ductam temporibus, et a sacris Theologiæ magistris quoq; probatam, nullam omnino de futuris contingentibus dari scientiam. præcipue uero circa hominum actiones non ab alio impulsu, quam a mera uoluntate dependentes, et a solo libero hominis arbitrio regulatas. Quo enim eius

* 17. . .

* 18. libertas?* si a præscripto syderum motu non possit recedere? cur ego uitia abycere, animum ad uirtutes desponndere cogitem? si nascenti mihi dictum sit, quid me esse opporteat? cur præmia in bonos? cur exerti in sontes gladij? cur flammarum exustiones in humani generis hostes paratæ? si ut sint tales fato et necessitate ineuitabili adiguntur. humana conditio libertatis sit deploranda, Deorum munus improbandum. Dij non timendi, nec thure colendi, aut prece fatigandi, si fato prohibente non possint, aut uelint, quod de me statutum est, quidquam inflectere?

Sed propius accedendo, non solum dicimus Mathesim uanam et inutilem esse, sed nullo modo esse posse scientiam hac ratione discerentes. Intellectus noster terreno corporis carcere inclusus, absq; sensuum adminiculo, quia sint illius ministri, nec concipere, nec quidquam operari. nec ad aliquam scientiam peruenire potest. nec scientia præditus dicetur, etiamsi sensus unum, uel alterum effectum representauerit. nam ad scientiam teste Aristotele in Metaphysicis comparandam necesse est, ut ex frequentatis effectibus multæ circa rem fiant experientiæ, a quibus sic iteratis excitetur, ac uegetetur pro uniuersalibus colligendis memoria; quorum deinde notitia. ad scientiam ipsam peruenitur. quod si uera sit Aristotelis sententia, quam nemo ex philosophis impugnat. nullo modo Mathesis scientiæ nomen adserere sibi potest. si quidem necesse esset, ut unus, et idem effectus pluries contigisset. Supponamus ex Lucano, qui bellum Ciuile futurum inter Cæsarem et Pompeium necessarijs Mathematicæ et Astronomiæ argumentis, signorum figuris, planetarumq; motibus. illis carminibus nobis denuntiauit.

Quod cladis genus o superi. qua peste paratis
Sæuitiam: æterni multorum tempus in unum
Conuenere dies. tu qui flagrante minantem
Scorpion incendis cauda. chelasq; peruris.
Quid tantum Gradiue paras? nam mitis in alto
Juppiter occasu premitur. Venerisq; salubre
Sydus habet. motuq; cæler Cyllenius hæret.
Et cælum Mars solus habet. cur signa meatus

Deseruere suos, mundoq; obscura feruntur
Ensiferi nimium fulget latus Orionis.
Imminet armorum rabies, ferriq; potestas.
Confundet ius omne manu scelerisq; nefando
Nomen erit uirtus, multosq; exibit in annos.

qua igitur ratione, sub hac cæli figura, atq; positione, in qua Mars ascendens, et dominus comitatus a Venere, et Mercurio: Ioue in ima cæli parte existente, sub Orionis armati constellatione, potuit Mathematicus per ueras scientiæ regulas bellum Ciuile inter Cæsarem et Pompeium futurum prædicere. si effectus hic una tantum uice ab mundi exortu contigit, ex quo nec experientiæ plures ad colligenda uniuersalia, per quæ ad scientiam peruenitur, desumi potuerint. Cum Mathematicorum firma sit opinio; ut unus, et idem effectus nonnisi spatio triginta sex mille annorum, secundum eos qui minimum tempus assignant, iterum contingere posit. consequens est igitur ut dicamus Mathesim non esse scientiam, cum effectus reiterari nequeant, sine quibus experientia, et uniuersalia deficiunt, quorum tantum adminiculo, et ope scientia nobis innotescit.

Nec præsentem onerat inspectionem, si dicamus, quod quāuis in Mathematica disciplina et Astrologia unus, et idem effectus in unius hominis uita plures obseruari nō possit, non tamen hoc tollere, quin a primis huius artis inuentoribus, et deinceps per longam annorum seriem ille idem effectus a sectatoribus eiusdem multoties obseruari potuerit, et quin ex frequentatis effectibus uniuersalia colligi, et ex his scientia ad nos p insequentes transmissa perfici potuerit. Nam responsionem eadem implicitam difficultate dicimus. si quidem idem effectus non minus quam spatio triginta sex millium annorum in hominum cognitionem iterum deuenire posse Mathematicis persuasum est. Ab Cataclysmo uero, seu diluuio Noctis ad nostra usq; tempora, quo cæpere homines scientijs animum despondere, et Astrologiæ operam dare, annos quattuor mille, plus, minus tantum, secundum ueram Sanctæ matris Ecclesiæ supputationem effluxisse constat. cui sane obiectioni

contra uanitatem Matheseos facta non uideo quid responderi possit.

Sed bono iure cum Mathematicis nostris agamus, et demus citra ueri tamen praeiudicium, quod aliqua scientia de praescientia rerum futurarum per Mathesim et Astrologiam, et minori quidem quam supra desfinitum est tempore, haberi possit; adhuc eandem uanam asserere non dubitamus. quia breuis adeo sit humanae uitae cursus, respectu temporis, quod in ea perdiscenda impendi debet. quippe quae non minus sexcentis quinquaginta annis, quibus ex Astronomiae calculo, annus maior includitur, adquiri possèt, prout eiusdem artis studiosi definiunt. quae sane ratio Flauium Josephum disertissimum antiquitatum Judaicarum scriptorem, et Astrologum insignem libro primo cap. VIII. asserere coegit Noetem annos nouemcentum quinquaginta uixisse, ut syderum motus rite, et recte obseruare, eorndemq. filijs, et nepotibus tradere, et edocere posset. porro cum nostra tempestate nemo minimam illius aetatis portionem uiuat, dementia fuerit in eam incumbere scientiam, quae tam breui temporis curriculo addisci nequeat. recte igitur aiebat doctissimus Romanorum Marcus Varro apud Gellium libro XVI. cap. XVIII. Sed haec quae aut omnino non discimus, aut prius desistimus, quam intelligamus, cur discenda sunt? quod a Diuina sapientia mutuo sumptum uidetur. Difficile aestimamus quae in terra sunt. eaque intuemur cum labore. quae autem in alijs sunt, quis inuestigabit? Et alibi eadem sapientia. Quid necesse est homini maiora se quaerere, cum ignoret quid conducat sibi in uita sua numerum dierum peregrinationis suae, et tempus, quod uelut umbra praeterit, nesciens. quorum testimonia adeo uera sunt, ut non sine magna temeritatis nota in dubium reuocari queant.

Nunc uideamus an etiam ista futurorum contingentium ex astris praescientia respectu adiacentium, et concomitantium uana dici possit. Tria igitur ex communi Mathematicorum schola requiruntur, ad hoc ut studiosus huius facultatis de praedictis bene conicctari, et praedicere

ualeat: primo, ut astrorum, et planetarum influxus, atque natura, et quemnam aspectus habeant inter se respectum, Mathematico sint bene noti, atq; perspecti. Secundo ut uim, et eorundem uirtutem ei sciat applicare personæ, super quam futurum est iudicium. Tertio ut eadem persona sit habilis, et apta ad recipiendum illum influxum, et astroꝝ effectum. et quidquid illa planetarum coniunctio protendit. quid enim si mendici eadem hora, cæliq; positione nascatur, qua regis filius. huicne astra Regnum portendunt. insulsum fuerit hoc asserere, nam cum sub eadem hora, qua filius Regis natus est in diuersis mundi partibus plures nasci contingat, necesse foret, ut omnes euaderent Reges. Necesse est igitur rebus in cunctis, ut nedum respectus. sed etiam syderum inter se respectus cognoscantur. et an subiectum sit capax illius conditionis, quæ sydera atq; planetæ significant. Hoc prorsus in medicina ab eius sectatore necessario sunt obseruanda ut rectum de Aegrotis iudicium facere possit. Opportet enim in primis, ut uirium medicinæ sit sciens. tum ut tempora opportuna dignoscat: quo pharmacum aut remedium ægrotis sit applicandum. postremo naturæ, et temperamenti ęgrotantis ignarus esse non debet. Aliter nanq; iuuenis, aliter curandus est senex. Vbi enim uenæ solutio erit salutaris iuueni, eadem sanguinis missio senem occidet. quæ sanè conditiones nequaquã Mathematico, aut Astrologo notæ esse possunt. Si quidem regula sit apud Mathematicos indubitabilis, et certa, quod in Solis et lunæ coniunctione uberes sint pluuiæ futuræ. hoc tamen certe et indubitanter prædicere, et affirmare non possunt. tum quia uirtus stellarum, et planetarum sit nedum incerta sed confusa. tum etiam quia cum ab alijs astrorum aspectibus et radijs adspiciantur. incertum fit uter effectus sit potior, an coniunctionis gignendi, an aspectus aliorum astrorum prohibendi pluuias. Nec minus difficile est scire. coniunctionis aut syderum uis, et uirtutis effectus, cuinam parti sit applicandus. quandoquidem contingere potest ut illa regio, in quã pluere deberet per aliquod accidens sit serenitati exposita. uel ex deficientia nimborum; uel quia nimbi et pluuiæ per uentos alio

transportentur. si ergo ex istis effectibus naturalibus a sole et luna prouenientibus quorum operatio in his sublunaribus caeteris astris omnibus est potentior nil certi sciri aut praedici potest. quanto minus sciri et enunciari poterit ex sydereum, et planetarum uirtute de uita et moribus, caeterisque in hominum uita contingentibus. cum sydera ex Mathematicorum placitis multo minorem habeant in homine potestatem. quam Sol habeat in sublunaribus cum luna dominiũ. ✻. 19 Insuper quam sit manca ista scientia, si tamen scientiae praerogatiuam meretur, ex eo facile intelligitur. quod Ptolemaeus huius artis Princeps. quod Manilius, qui carminibus eandem celebrauit, quod Maternus, Julius Firmicus, et alij sectatores, nunquam stellas Antarctici uiderint poli; quippequae paucis abhinc annis ex Columbi ad Antipodas nauigatione nobis innotuerint, qui sane polus cum dextram caeli partem obtineat nobilior est, et maiores ex syderum qualitate habet quam polus Arcticus noster influxus, iuxta optimam Aristotelis sententiam. propterea cum eius stellae sint maioris uirtutis et efficaciae, contingere potest, ut Mathematici ex dimensione stellarum nostri poli praenuncient aliquid, quod, uel uanum reddatur, uel modificetur a uigore stellarum Antarctici poli. qui pariter in sinistram Arctici poli partem maiore cum uirtute influit. Accedit non esse spernendam illorum opinionem, qui asserant stellas nonnullas maximae quidem uirtutis circa Solis orbitam uersari, et agi, quae ob nimium eius splendorem a nobis conspici minime possint: quemadmodum de planeta Mercurij uetus est opinio: qui cum Solem semper comitetur, et exiguae sit magnitudinis, uel nunquam, uel raro uideri soleat. has porro stellas in Solis effectus maxime influere, et ignotae adhuc esse conditionis autumant. prout eo contigit anno quo C. Caesar Dictator in Senatu confossus est, ex harum igitur aspectibus ita solis radios retusos atque obscuratos ferunt, ut nihil per totum ad maturitatem annum peruenerit. sed tanquam atra nox mundo incubuisset, annonam uniuersam corrupit. de qua Virgilius.

Georgicorum primo. Solem quis dicere falsum
Audeat? ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemq; et operta tumescere bella.
Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaq; æternam timuerunt sæcula noctem.

Si ergo istarum stellarum Solem concomitantium proprietates a Mathematicis et Astrologis ignorantur, quæ tamen uehementissime in eundem influant, et agant; qua ratione de certis eiusdem Solis effectibus præscire, aut prædicere poterunt. Sexcenta huiusmodi ad istorum uanitatem redarguendam in medium afferri possent, ni me potius mouerent doctissimorum uirorum auctoritates Mathesin omnino exagitantes. Bion inter septem Græciæ sapientes non postremus maxime ridiculos aiebat Mathematicos et Astrologos esse, qui non uiderent pisces iuxta se in riuulo natantes, illos autem qui in ima Zodiaci parte manent se cernere profiterentur. ut refert Stobæus sermone De Dys XXC. cui sane sententiæ subscripsit Diogenes, qui ob nimiam dicendi libertatem Cynicus est appellatus, asserens, cum præsides Prouinciarum, Medicos, ac Philosophos cerneret, se nihil homine solertius, atq; utilius uidere. nihil ineptius contra, et Reipublicæ perniciosius, quam cum uates, diuinatores, Augures, Haruspices, hariolos, Chaldæos, mathematicos, Astrologos, somniorum coniectores et interpretes, atq; huiusmodi perditum hominum genus adspiceret. rationem ipse non adiunxit eam nos esse putamus, quia isti sectatores, cor sibi quotidie rodentes, inanem omnino, et perdifficilem consectentur disciplinam. hoc nobis non obscure in p° Aeneidos designat Virgilius dum sub Veneris forma prædicit tutam classem, et socios reductos filio ex augurio quorundam Cygnorum hisce uerbis.

Aspice bis senos lætantes agmine Cycnos
Aetherea quos lapsa plaga Iouis ales aperto
Turbabat cælo, nũc terras ordine longo
Aut capere, aut captas iam despectare uidentur.
Ut reduces illi ludunt, plaudentibus alis
Et cætu cinxere polum, cantusq; dedere:
Haud aliter puppesq; tuæ, pubesq; tuorum

Aut portum tenet: aut pleno subit ostia uelo.
quod sane augurium praemunit nomine uanitatis.
Ni forte augurium uani docuere parentes.

Hoc ipsum ueteres Mythologici duobus figmentis significare uoluerunt, altero Promethei Caucaseis montibus alligati, cui semper Aquila cor dilaceraret. is enim Astrologiae studiosus meliorem annorum suorum partem in hoc monte consumpsit, ut syderum motus obseruaret, quos cum perfecte addiscere non posset, cor suum edebat et inutiliter angebatur. de quo sub Astrologia sic Alciatus

Caucasea aeternum pendens sub rupe Prometheus
Diripitur sacri praepetis ungue iecur.
Et nollet fecisse hominem, figulosq; perosus,
Accensam rapto damnat ab igne facem.
Roduntur uarijs prudentum pectora curis,
Qui caeli affectant scire, Deumq; uices.

□ 2 Altero Atlantis maximi Mauritaniae Mathematici, quem non alia ratione in montem eiusdem nominis conuersum fingunt, quam quia ad extremam usq; senectam illum incoluerit, ut astrorum cursus et proprietates ac planetarum influxus probe teneret. quod assequi non potuit. Ergo stultum fuerit in ea uersari scientia quam homo consequi nequeat, quod non dubia comprobatur ratione nam cum homo Deus esse non posit, nec eorum fuerit capax per quae diuina natura ab humana seiungitur. atqui rerum futurarum cognitione Deus homini praestat; □ 3. consequens igitur fuerit asserere, non esse concessum homini, ut per syderum scientiam futura cognoscat alioqui Deus esset. Hinc Pacuuius.

Nam si qui, quae euentura sunt, praeuideant
Aequiparent Ioui. □ 4.

□ 4. Futurorum igitur maxime contingentium praedictio non nostri est ingenij, et humanae naturae limites usq; adeo excedit, ut Homerus, quem sapientissimum perhibent. Deos ipsos de futuris interdum deliberantes introducat. non quod eorum animum perspectum ille haberet. sed ut hoc inuento nobis ostenderet, rerum praescientiam, futurorumq; praedictionem ex eorum esse numero, quae humanam prorsus superent cognitionem, atq; ideo recte et rite mortalibus denegata atq; interdicta.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.

quanto magis id nobis asserere liceret. si Porphirÿ uera esset opinio, rerum nempe futurarum cognitionem non omnibus Dÿs esse notam, soliq; rerum omnium opifici Ioui esse reseruatam, quod etiam humanæ salutis reparator Christus discipulis suis innuisse uidetur, qui de fine mundi licentius et curiosius quam par erat illum percunctabantur; signa quidem interitus mundi prænuntia illis ostendit, quænam essent futura, sed quando ista euentura essent, soli eius patri, et altissimo Deo esse reseruatum et perspectum. non quia uere tempus istud ignoraret. sed ut discipulos ab ulteriori inquisitione circa ea, quæ ad Deum spectant, et curiositate prohiberet. Hinc Socrates diuino apud Græcos oraculo sapientissimus Astrologos hisce uerbis monere solebat. Cognitio futurarum rerum, quæ sunt in potestate Dei, homini non procuranda: nec enim possunt homines eas res cognoscere. nec Deo gratum est, si quæ ille occultauit, ea mortales uelint nimis studiose, et curiose rimari. Dictum Socratis refert Eusebius Cæsariensis de Præparatione Euangelica libro XIV. capite IV. Et ne quis de fide Eusebÿ addubitet, hoc idem commemorat Xenophon de dictis et factis Socratis.

Qua sane impostura primi parentes nostri a Cacodæmone circumuenti fuerunt, dum per rerum omnium scientiam, et boni atq; mali præscientiam Dÿs pares et similes esse uolunt, quod quidem contagium per omnes ætates diuagatum magno nostro cum incommodo in liberos et nepotes hodierna quoq; die proserpit. Verum isti Chaldæi, quos Mathematicos et Astrologos uulgus appellat. futurum ex astris assequi ualeant. Dÿs ipsis hac in re sint æquales, ab doctis pariter et indoctis admirentur. Ad quid per Deum immortalem confert ista scientia. nam si quid boni promittit animus spes suas præueniens angitur, donec illud assequatur. Si uero malum prænuntiet perpetuam ultro insumimus molestiam perq; omnem ætatem in cruce suffixi manemus, atq; inter spem, et metum perpetuis temporibus pendentes* infortunium nostrum anticipamus, et patimur. Hinc * 20

in suis rithmis Italis recte Torquatus Tassus aiebat.

Ben folle, et a sestesso empio e colui,
Che spera, e teme, e in' aspettando il male,
Se gli fà incontro, e sue miserie affretta.

Sed per hominum fidem, quid boni confert ista tam anxia futura praesciendi, et uaticinandi sollicitudo? si praedictionibus ueris, quae raro, aut falsis, quae frequentissimae concurrunt, cautionem ullam Dij ipsi adhibere non ualent. Inanis est de malo sermo, quod nullam admittat medicinam. Non uideo quid iucunditatis atq; laetitiae euenire possit homini, semper, et ubiq; de suo fato sollicito. Quae uita Priamo contigisset acerba, si ab adolescentia sciuisset, quos tristes in senectute sua fuisset habiturus euentus. Quae Marco Crasso. Cneio Pompeio et Caio Caesari: insana haec sunt documenta, quae humana crudelitas excogitauit, ut acrius affligamur, et torqueamur. propterea Leuconoen recte monet Hor.s

Tu ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem Dij dederit. Leuconoe, nec Babylonios
Tentaris numeros, et melius, quicquid erit, pati.
Seu plures hyemes; seu tribuit Iuppiter ultimam.
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum, sapias, uina liques, et spatio breui
Spem longam reseces, dum loquimur, fugerit inuida
Aetas, carpe diem, quam minimum credula postero.

quando igitur futurorum praescientiam clementer Dij nobis indulsissent, satius adhuc esset ea praecognitione
□ .5. as carere. Nemo est qui nesciat, qua semper leuitate Graecia laborauerit, ut nulla fuerit ars tam futilis, in quam non leuius studium impenderit suum, in hac tamen ex astris praesciendi scientia quae uerba? quae sententiae? mihi sit instar omnium Euripidis auctoritas.

Quis autem est Augur, is uidelicet
Qui uera pauca, falsa dicit plurima.
Si sors ceciderit; atqui si minus
Ita ceciderit: tum uel arte elabitur.

Porro isti mathematici, qui sine ratione loquuntur etiam si fortuito aliquando diuinent, artis tamen inscitiam produnt: nam fortuito uera enunciare nihil est aliud, quam ex scita mendacem esse, et artis ludibria uendere. *- 21

Nec exhibent negotium quae tum ex Ammiano Marcellino, tum ex Virgilio, Statioque Papinio, ac caeteris scriptoribus paullo ante citatis obÿciebantur. Iouis nempe spiritum per hanc uniuersam mundi molem diffusum primo ab astris corruptioni minime suppositis, diuinamque pulchritudinem representantibus, postmodum ab auibus reliquis animantibus purioribus, et ad naturam diuinam propius accidentibus, postremo ab animantium extis impulsu caelesti motis participari, a quibus tanquam a Deo hominum amante, et eorum, quae ipsi concupiscant liberali domino repletis futura per istos Mathematicos Astrologo Augures, et Haruspices diuinae uoluntatis interpretes nedum sciri, sed etiam praenuntiari queant.
Nam respondemus uniuersam quidem mundi machinam diuino spiritu uigere, et esse compactam, non quia mundus, et caelum sit animal, ut falso quidam sunt opinati. nam Stoici auctore Tullio aiunt corpora caelestia pasci ex mundi partibus inferioribus, et tandem illis humore exhaustis futurum, ut tota compages in pabulum huius animalis helluonis impendatur. et sic interitum sentiat. sed quia res omnes secundũ suam essentiam de diuina bonitate participent, quae sane diuina bonitas magis in illis sempiternis caelifacibus, quam in reliquis mundi corporibus elucet. ut recte de more dixerit Dantes poeta Florentinus.

A gloria di colui, ch'il tutto moue
Per l'uniuerso penetra, e risplende
In una parte più, e meno altroue.
Nel Ciel, che piu della sua gratia prende.

At Deus caelum et astra non condidit, ut in hominum actiones quidquam agerent, eosue felices aut infelices redderent. sed ut ipsam mundi molem, et hominem, qui sit potissima eius pars, nunc pluuias, et imbres, nunc uentos, et siccitates excitando, conseruarent. et ut inquit nostri temporis elegans poeta

Deucalionaeos si fudit Aquarius imbres:
Funereas Phaëton sparsit ubique faces.
Non tulit in longum procedere tempora Pyrrae:
Solis et ardentes fulmine adegit equos.

Sed hæc nihil ad hominis constitutionem, et ad futurorum præscientiam faciunt. Quid enim potest Vrsa maior, ursa minor, Pegasus, Andromeda, Serpens, lyra Cassiopæa in hominis arbitrio, et uoluntate, nomina ficta, et ab hominibus, postquam astra condita

* 22. fuerunt, inuenta,* nec eadem apud cunctas Orbis nationes, cum aliter Europæi, aliter Afri, aliter Indi, cælum ipsum, et astra sit dimensi, et ipsos inter scriptores huius facultatis non minima sit de astrorum uirtute dissensio. aliioqui si diceremus hominum fata ex syderum positione, et planetarum influxibus pendere, eadem homini imperantia non deseruientia faceremus, et tamen clarius est quam ut probatione indigeat ista non imperare, sed deseruire. iuxta Papinij, et omnium recte sentientium sentm

Habent et numina legem,

Seruit et Astrorum uelox chorus, et uaga seruit

* 23. Luna, nec iniussa toties redit orbita lucis.*

In cuius rei testimonium, quod refragari nequeat, adsunt uerba Deutheronomij a diuino spiritu prolata ne populus Hebræus in Idolatriam prolaberetur. Custodite, et soluite inquit animas uestras (Non uiditis aliquam similitudinem in die qua loquutus est uobis dominus in Oreb de medio ignis) ne forte decepti faciatis uobis sculptam similitudinem omnium iumentorum quæ sunt supra terram, uel auium sub cælo uolantium, atque reptilium, quæ in terra mouentur, seu piscium, quæ sub terra morantur in aquis: ne forte eleuatis oculis ad cælum uideas Solem, et lunam, et omnia astra cæli, et errore deceptus adores ea, et colas, quæ creauit dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt. quæ quidem uerba quamuis sint de Idolatria prolata, contra istos tamen Mathematicos corpora humana astrorum potestati subijcientes afferri et accommodari possunt, cum superstitio ab Idolatria non longe distet. Concludemus igitur hoc caput cum Porphyrio dicente futurorum præsensionem per syderum inspectionem in dæmonibus esse inchoatam eandemque homines ab hijs didicisse.

Eadem quoq; ratione corruunt, quæ de Iouis spiritu in Aues aut Oscines, ut coruus, cornix, noctua, aut præpetes et alites, quæ uolatu, faciebant augurium, ut Buteo, Sanqualis, Immusculus, Aquila, Vulturius, Picus, et Parra, uel in pecudum extas immissio ab initio proponebantur, quod is earundem occentum moderetur, et uolatum ita dirigat, atq; fibras ita animet, ut ex his futurorum præscientia desumi possit. Hæc enim omnino uana sunt, et matura philosophi consideratione prorsus indigna: nam quod Deus per eius spiritum in animantes omnes diffusum ita auium occentum, aut uolatum dirigat, ut una secundum suam naturam magis quam alia impulsu moueatur, remigioq; alarū aëra secet, uel ore diuerso canat, aut garriat, aliter enim accipiter, aliter Aquila uolare, et clangere solet. et in pecudibus extas diuersimode moueat, ut aliter bos, aliter uipera palpitet. sed quod ista ita a Deo dirigantur, ut futura prænuntient quemadmodū primum non grauate concesserim; sic hoc postremum omnino negauerim. Nam quod aues fere omnes præsostant tempestates, uentorum turbines, grandinum uerberationes, motus aquarum, prout et mures ædium ruinam præsentire uideantur. id ui diuinationis, quæ ipsis insit, non præsagiunt, sed sciunt uel ex strepitu parietum, ex terræ hiatu, et ex aere ambiente. nam quemadmodum homines intellectu, atq; ratione cæteris animantibus omnibus præstant, et nocitura per discursum euitant, sic bruta sensu, et phantasia maxime pollent, per quam damna eorum uitæ ingruentia declinant. sed hoc non est præsagire sed scire, quia citius brutorum sensus, quam hominis, mouetur, et ab ambiente perturbatur. Aues igitur respectu nostri, qui sensum imbecilliorem habemus præsentire, sed impropriè, dicuntur, respectu sui scire, sed nullam diuinationem habere. secundum D. Thomam. Caietanum. et Vldaricum, quibus addo Franciscum Mirandulanum Ioannis Pici ex fratre nepotem libro III de Rerum prænotione. Hoc idem ab Ethnico poeta Virgilio, qui nihil ignorasse dici potest, prius fuerat obseruatum, de coruo secundum nostrum loquendi modum serenitatem præsagiente. D. I.

Haud equidem credo quia sit diuinitus illis
Ingenium; aut rerum fato prudentia maior.
Verum ubi tempestas, et cæli mobilis humor
Mutauere uias, et Iuppiter humidus austris
Denset, erant quæ rara modo, et quæ densa relaxat.
Vertuntur species animorum, et pectora motus
Nunc alios, dum nubila uentus agebat
Concipiunt: hinc ille auium concentus in agris
Et lætæ pecudes, et ouantes gutture corui.

Nec alia sane ratione Delphines marinam hominibus tempestatem præmonstrare dicuntur: non quia re uera præsagiant, sed quia priusquam homines animaduertere possint commotionem aquarum ab ima maris parte incipientem, ex sententia Virgilij, qui sic ait.

Interea magno misceri murmure Pontum,
Emissamq; hyemem sensit Neptunus, et imis
Stagna refusa uadis. Eadem commotio ipsis sit præsens, quippe quæ in imis maris partibus eorum perturbet tranquillitatem, quam horrescentes ad extimam eius partem tendunt, et futuram nobis, sed ipsis præsentem tempestatem significant. Minus etiam uerum est quod Aues tanquam in aere puriore uiuentes sint Dijs cæteris animantibus gratiores. nam cum sint ex numero brutorum, quo magis ad materiam accedunt, eo longius a diuinitate absunt.

Nec mihi summam Romanorum in his fouendis prudentiam obieceris, qui summa cum religione Augurum et Haruspicum Collegia in urbe constituerint, qui nullum bellum indixerint, indictumue susceperint, nihilq; priuatim aut publice unquam gesserint, nisi auibus prius de cælo seruatis, aut inspectis pecudum extis. ijsq; tantum auctoritatis tributum est, ut plerique consulari dignitate, et ipsa Dictatura ornati, quia non bonis auspicijs creatos, uel in bellum profectos Augures, et Haruspices affirmarent. in Vrbem retracti Consulatum et Dictaturam deposuerint. Nemo enim est adeo uecors, qui credat heroes illos tam insigni prudentia claros, quorum uirtute Respublica floruit, et uniuersis gentibus iura dedit, uana potius religione tactos, quam summa in patriam caritate permotos se ab dignitatibus illis abdicasse, ne imperita multitudo in bellum euocata

et uanis Augurum Haruspicumq; responsis consternata segnius in bellum operam nauaret suam, et Respublica detrimentum caperet. quae tamen auspicia tanquam inania et uana a multis belli Ducibus neglecta fuerunt quemadmodum de P. Claudio Pulchro Valerius Maximus refert. qui cum praelium nauale cum Carthaginensibus committere uellet, auspiciaq; more maiorum peteret, et pullarius non exire cauea pullos nuntiasset: abijci eos in mare iussit, dicens, quia esse nolunt, bibant. qui uero illa obseruarunt licet artis uanitatem agnoscerent, et irriderent, cum essent publicae utilitati, quam priuatae propiores, nemo sibi aliquid detractum putabat, si Reipublicae causa Augurum, et Haruspicum responsis paruissent. Idq; diserte a Cicerone confirmatur. Equidem assentior C. Marcello potius quam Appio Claudio, qui ambo mei collegae fuerunt, existimoq; ius augurum, etsi diuinationis opinione principio constitutum sit, licet haec disciplina euanuerit uetustate, et negligentia: Reipublicae tamen causa conseruatum, et retentum. nam si ex una parte contempta auspicia Alliae nomen fecerut infaustum, ferale Romanis sub Claudio Pulchro et L. Iunio Pullo naufragium excitarunt. si Trasimenum Quiritum sanguine repleerunt. si Parthis uictoribus Romana signa Duce Crasso dederunt. Eadem seruata non impedimento fuerunt, quominus caperetur Regulus: quin Mancinus sub iugum mitteretur, quin Paullus licet pullos edaces habuisset, cum exercitus internecione prosterneretur. nam et e contra Caesar Dictator, ne ante brumam in Africam nauigia transmitteret, Augurijs, et auspicijs renitentibus spreuit, eo facilius et nauigauit, et uicit. Pleraq; alia in praedictorum confirmationem adduci possent, nisi ab sanctissimo Ambrosio patriae nrae praesule, et patrono aduersus Symmachum aram Victoriae reponendam curantem recensita abunde fuissent. et nisi lepidissimum Pacuuij dictum plane nobis indicaret quantum mendacij ars auguralis et extispicina contineret.

Nam isti qui linguam auium intelligunt,
Plusquam ex alieno iecore sapiunt quam ex suo
Magis audiendum, quam auscultandum censeo.

melius quidem, ut ego existimo, eos uellicare, acrius urgere, et auaram Augurum et Haruspicum naturam

ubiq; carpere non desinit Actius qui nec aures accommodandas, nec huiusmodi hominum generi assentiendum hac celebri sententia putat.

Nihil credo auguribus, qui aures uerbis diuitant
Alienas: suas ut auro locupletent domos.

Diuitum si quidem crumenis in primis insidiantur, ut melius sibi, quam responsa petentibus ex ista facultate augurentur. dum blandiusculis uerbis, supercilio tamen ad seueritatem composito, post uexatas multis lineis punctisq; chartas, per syderum positiones, per auium uolatus, et occentus, per pecudum extas, uirgultorumq; crepitus, ac fulgurum species, huic honores, alteri diuitias, illi felix coniugium, aut amores, aut opulentam promittunt haereditatem, quos Satyra VI. Iuuenalis irridet.

Spondet amatorem tenerum, uel diuitis orbi
Testamentum ingens, calida pulmone columbae
Tractato, Armenius, uel Comagenus haruspex.
Pectora pullorum rimabitur: exta catelli
Interdum et pueri, faciet, quod deferat ipse.
Chaldaeis sed maior erit fiducia: quidquid
Dixerit Astrologus. credent a fronte relatum
Hammonis: quoniam Delphis oracula cessant
Et genus humanum damnat caligo futuri.

Pudet me iterum in istorum fallacijs immorari. sed quis Ennij uetustissimi poetae de his omnibus aeruscatoribus Mathematicorum nomen usurpantibus multo sale conditam possit praeterire sententiam?

Non habeo, inquit, nauci Marsum augurem.
Qui sui quaestus causa fictas suscitat sententias.
Non uicanos Haruspices, non de Circo Astrologos.
Non Isiacos coniectores, non interpretes somnium.
Non enim sunt hy scientia, aut arte diuini
Sed superstitiosi uates; impudenterq; Harioli
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat,
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant uiam.
Quibus diuitias pollicentur ab ijs drachmam ipsi petunt.
De his diuitijs sibi deducant drachmam reddant caetera.

quam quidem illustrem sententiam non est dedignatus sequi Cicero, dum dixit. Nunc illa testabor non me sortilegos, neq; eos qui quaestus causa hariolantur, nec

Psichomantia, quibus amicus meus uti solebat intelligere. Hæc igitur tanquam uenenum in perniciem generis humani ex Dæmonum industria diffusum nedum sunt uana, sed ut scopulos Acroceraunios uitanda. Operæ pretium est Octauium ita disserentem audire. Isti impuri spiritus sub statuis, et imaginibus consecratis delitescunt, et afflatu suo auctoritatem quasi præsentis numinis consequuntur. dum inspirantur interim uatibus, dum fanis immorantur. dum nonnunquam extorum fibras animant. auium uolatus gubernant. sortes regunt, oracula effutiunt falsis pluribus inuoluta: et ut nescientes synceram ueritatem (addimus et nos, nec quid in propria eorum domo fiat, et falluntur, et fallunt, eamq; a uero, et immortali Deo ad materias auocant. Adiunximus illa duo uerba. Nescientes quid in propria domo fiat. quia elegantissimum sit Thomæ Mori Epigramma, quo istorum Astrologorum uanitatem perstringit, et irridet.

Astra tibi æthereo pandunt sese omnia uati.
Omnibus et quæ sint astra futura docent.
Omnibus ast uxor quod se tua publicat, id te,
Astra licet uideant omnia, nulla docent.

Hi ergo Chaldæi, qui Mathematicorum et Astrologorum nomine artis suæ ludibria uendunt, magnis olim sumptibus et lucris nedum Romæ, sed ubiq; terrarum fouebantur. pretium mentiendi lingua ferente, ab illis præsertim curiosis, qui, ut ait Paulus V. sententiarum tit. xxi prædictione ad spem mutationis accensi nihil non aduersus præsentem statum moliuntur. aut boni expectatione futuri periculi commouentur. Docentibus autem magnus discipulorum numerus accedebat, diuitias non disciplinæ ueritatem aut magistri præstantiam exquirentes. de quibus ita loquitur Ammianus. Augebatur in dies cæremoniarum ritus. immodicè cum impensarum multitudine antheac inusitata, et graui, et quisque cum imprepedite liceret, scientiā uaticinandi professus iuxta imperitus, et docilis sine fine, uel præstitutis ordinibus oraculorum permittebatur scitari responsa, et extispicia nonnumquam futura pandentia. oscinumq;, et Auguriorum, et ominum fides, si reperiri usquam posset affectata uarietate quærebatur. Venas quoq; fatidicas Castalij Iulianus recludere cogitans fontis, quem obstruxisse Cæsar dicitur Hadrianus mole saxorum ingenti

ueritus ne ut ipse praecinentibus aquis capessendam Rempublicam comperit, etiam alij similia docerentur.
Porro cum isti impostores leuissima uanitate suas adumbrarent ineptias, frequenterq; apud multos de successu mentirentur. ideo ualde periculosa uisa est ista diuinatio,
* 23.6
sed et ipsa diuinandi scientia, eiusq; libri, ac sectatores. atq; ideo crebris Praetorum edictis perstricti, Vrbe pulsi, Italia submoti, et ubiq; infamia notati fuerunt, non tamen prius in eosdem animaduersum accepimus quam C. Cornelius Hispalus Praetor peregrinus Popilio Lenate et C. Calpurnio Coss. eosdem intra decimum diem urbe, atq; Italia excedere iusserit; ad publicam ratus utilitatem pertinere, si huiusmodi hominum genus tam perniciosum in ultimas hominum partes amandasset. ne populus Romanus hoc tam graui morbo laboraret. et ne Italorum animi uana fati superstitione terrerentur. Verum cum plerisq; istorum de salute principis, et Reipublicae statu inquirerent, et cum Magis participarent. Sunt enim malae artes ita inter se coniunctae, iuxta celebrem Nigidij Figuli, sententiam, ut difficile una sine altera stare possit, cum ergo Mathematici hac in hominum perniciem uti facultate coepissent. uel diris carminibus, uel execrandis imprecationibus, uel cereis figuris hominis necandi causa factis, uel Manium, et umbrarum euocatione factum est Statilio Tauro, et Libone Coss. ut sub uno de Maleficiis et Mathematicis Senatuconsulto coniungerentur, et utriq; poena legis Corneliae de Veneficiis tenerentur. et hi uel de saxo Tarpeio praecipitabantur, ut Pictauius actus est praeceps, uel extra Portam Exquilinam, ut in Publium Martium more maiorum animaduertebatur, uel gladio ultore feriebantur. Augusto deinde Imperante eo Mathematicorum prorupit audacia, ut non amplius de priuatorum fortuna inquirere, sed de Principum salute coeperint hariolari, Imperijq; maiestatem priuatis obuenturam spondere. quorum uanis praedictionibus elati factiosi, quos ad uitae decora domesticae laudis exempla non prouocabant, spe imperij potiundi, quod a Deo, et non ab Astrologis defertur, nihil antiquius habebant, quam ut communi salute sublata Rempublicam perturbarent.

urbes cædibus, Italiam uastitate replerent, optimosq' cū Imperio principes perderent. hinc tumultuosæ militum factiones, et seditiones a Vernaculis et Mathematicis enutritæ. hinc tam frequentes principum cædes. Vrbium direptiones, ciuium proscriptiones, gentium et populorum strages istis impellentibus factæ. Vt mihi Dionis Cassij non uulgaris historici semper uera sit uisa sententia. Mathematici, et Chaldæi omnino haud ferendi, qui cum sæpenumero uera dicant, frequentius tamen mentiendo nouarꝫ rerum tentandarum causam præbent. propterea ars damnabilis et improbata dicitur ab omnibus sed præcipue a Tertulliano Orthodoxo maximi nominis scriptore. Astrologos, inquit, Haruspices, Augures, et Magos de Cæsarum capite consultant, quas artes, ut ab Angelis desertoribus proditas, et a Deo interdictas ne suis quidem causis adhibent Christiani. Et quamuis Augustus adeo de se parum sollicitus fuerit, ut stellarum positionem, sub qua natus erat, publice proponeret a Mathematicis examinandam, ut tandem in antiqui operis aureis, argenteis, et aneis nummis insculperet. hanc tamen nimiam tam boni principis et parentis indulgentiam diutius non sustinuit uir et manu promptus, ac consilio grauis, rerumq' præclare gestarum gloria illustris M. Vipsanius Agrippa, qui ab eodem Principe gener adscitus, et Aedilis factus hos Chaldæos, et Genethliacos de salute principis inquirentes tanquam publicæ quietis perturbatores, et in maiestatem tanti principis magnum quid molientes, urbe expulit uniuersos; ratusq ad dignitatem per Augustum socerum in ipsum collatam parum aut nihil pertinere magnis opibus, molibus, atq' incredibili pene negotio uias publicas et priuatas explicare, atq' dirigere, cliuos emollire, plateas dilatare, fluminis alueum purgare, ripas munire, cloacas corriuare, alteram urbem sub terra pensilem struere, nauigationem commodiorem reddere. Insulas uetustate collapsas restituere, annonam Populo Romano uberiorem erogare. ludos magnis apparitibus dare, Balinea plebi, Bibliothecas litterarum studiosis, Basilicas Senatui, et magnifica Dijs templa dicare. Vrbem deniq' ipsam diuturnis bellorum ciuilium procellis quassatam, ruinisq deformem, marmoribus undique

aduectis in meliorem formam erigere: ni prius hanc hominū pestem Dys, hominibusq; inuisam e Republica amouisset. et in longinquas partes amandasset. Subsequutis deinde temporibus Tiberij principatus malis artibus adquisitus faedioribus autem retentus non parum gratiae, et aucto ritatis Vernaculis et Mathematicis addidit, Tiberius enim cum melioribus contemptis ad improbos quosque confugisset, Astrologo consuasore Trasillo, omnium horarum Imperatoris amico, a quo etiam in singulos dies uaticinia in hominum perniciem desumere solebat. per hunc enim geneses Imperatorias, clarorumq; in Repa. uirorum fata indagabat, et exquirebat, quos deinde, si eidem negotium exhibere poterant, confictis criminibus, uel insontes occidebat, uel fatis ita uolentibus intactos Principatui reseruabat. ut de Galba adhuc puero fertur, quem cum in seneta regnaturum comperisset Viuat, inquit, et imperet, quando id ad nos nihil attinet cui etiam compressa digitis buccula dixisse fertur, et tu aliquando imperium degustabis. Trasillo postmodum occiso. est enim infida Tyranni societas. facti paenitentia ductus, ut amico tam de se benemerito inferias solueret. et manes placaret. Mathematicos, et Astrologos peregrinos omnes in urbe degentes iugulauit, uenia hijs tantum ciuibus irrogata, qui se artem desituros intra certum tempus iureiurando adstrinxissent. Reliquos ciues matheis et astrologiae peritos, qui artem nō desissent, nulli tamen culpae affines Senatuconsulto extorres egit, et inter caeteros Marcum Valerium Maximum patritio genere ortum, florentissimum historiarum scriptorem, ob Astrologiae studium in exilium actum, se Mediolanum in patriam recepisse opinamur. de quo pluribus egimus in nostro de Valeria familia Mediolanensi perantiqua libello, ubi eundem auctoritate Alciati de patria Historia, Georgij Merulae de Rebus Mediolanensium. Tristani Chalchi de Gestis Insubrum, et aliorum scriptorum Mediolanensem fuisse probauimus, qui tantum abest, ut uiuens scientiam praedictam relinquere uoluerit, quin potius moriens se summo adhuc eius desiderio teneri in suo sepulchro quod bona fide damus. incidi curauerit.

x

M VALERIVS
MAXIMVS
SACERDOS
D·S·I·MED·STVD.
ASTROLOGIAE
SIBI ET
SEVERIAE APRONIÆ
VXORI
H·M·H·N·S

sed ut unde digressa est nostra reuertatur oratio hoc est Senatusconsultum, quod Statilio Tauro, et Scribonio Libone factum Tacito auctore probauimus; aduersante tamen legum Romanarum et Mosaycarum collatore, qui ex Vlpiani sententia Cæcilio Ruso, et L. Pomponio Flacco Coss. factum fuisse contendit. Verum cum inter hos auctores unius sit tantum anni dissidium non difficili negotio conciliari possunt, si dixerimus posterioribus designatis. Prioribus Consulatum gerentibus inuulgatum; ni uerius fortasse placeat asserere. Tacitum tanquam accuratum Annalium scriptorem, tempus, quo latum fuit, notasse; Vlpianum autem ad tempus respexisse, quo uim legis habere capit. Neque enim fit uerisimile Mathematicos uel Astrologos absq; modici temporis indulgentia uel necatos, uel expulsos, intra quod ueniam a principe impetrare, artem desinere, iuramento se obstringere; uel si artis magis desiderio, quam urbis tenerentur, compositis sarcinulis emigrare possent. Non modo uero sub Augusto et Tiberio Mathematici et Astrologi male accepti fuerunt, sed Claudianis quoq; temporibus Fausto Silla, et Syluio Othone Coss. Furius Scribonianus, quia de salute Principis Chaldæos consuluisset in exilium pulsus causam dedit Senatusconsulto de Mathematicis ab Italia pellendis, atroci quidem sed intra paucos dies irrito, quam Principis lenitatem, an potius leuitatem hisce uerbis perstringit Tacitus Mathematici, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in ciuitate nostra, et uetabitur semper, et retinebitur. quod utinam semper atrox, et nunquam irritum extitisset. neq; enim Othonis luxuries, et indomita regnandi cupiditas, efferaq; Imperij rapiendi libido abusis hariolis enutrita Sergium Galbam auita nobilitatis Imperatorem, uindicemq; scelerum Neronis acerrimum, atq; Orbis

ab eo portento atq; natrice liberatorem in medio urbis foro, ante oculos Populi Romani, inter oscula Pacis, hospitalitatis, et amicitiæ, Dijs ipsis sacrificia inspectantibus obtruncasset. Ausus uero Vitellius, qui Bebriacensi pugna Othonem Imperio deiecit, quo in Chaldæos, et Astrologos flagrauerit odio ex Suetonio libet addiscere nulli, inquit, infensior quam Vernaculis, et Mathematicis, ut quisq; deferebatur inauditum capite puniebat exacerbatus, quod post edictum suum, quo iubebat intra Calendas octobris, urbe, Italiaq; Mathematici excederent. libellus est propositus, et Chaldæos dicere bonum factum esse, ne Vitellius intra eundem Calendarum diem usquam esset. Quod et breui contigit, quandoquidem Judæis Mathematicis urgentibus, atq; uno ex captiuis prædicente Iosepho, excitatus Vespasianus, et ad Imperium omnium uotis expetitus, trucidato prius damnatorum more Vitellio, et in Gemonias proiecto, Mathematicorum de eodem prædictiones non irritas fecit. Vespasiano deinde rebus potiente per summam eiusdē conniuentiam tot Genethliacorum, et Haryolarum ex subacta Judæa in urbem confluxere cateruæ ut in hunc modum Romani uicem Imperij C. Rutilius Numatianus in suo Itinerario deplorauerit.

Atq; utinam nunquam Judæa excisa fuisset
Pompei bellis Imperioq; Titi
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresq; suos natio uicta premit.

Præterea consulto reliquas Chaldæorum prædictiones Domitiano, Hadriano, Pertinaci, Seuero, Macrino, cæterisq; Imperatoribus factas. Omnium instar erit studium, quo Caracalla Antoninus suo maximo malo has est complexus ineptias. ab Herodiano curiose descriptum. Nam suapte inquit natura cum esset curiosior, non hominum modo res cognoscere studebat, sed Deorum, Dæmonumq; arcana rimari, metuq; semper insidiar, nullis non oraculis incubabat, accitis undiq; Magis Astrologis Haruspicibus, ac nullo plane præterito, qui huiusmodi fallacias profiteretur, sed eos quoq; suspectans, ut parum uera loquentes, omniaq; ad assentationem uaticinantes. Scribit ad Maternianum quendam,

cui rerum suarum curam omnem in Urbe crediderat, et quem sibi ex amicis fidissimum putabat, consciumq; omnium secretorum habuerat. magos undiq; optimos conquirat, atq; euocatis manibus de fine ipsius uitæ consulat. an quisquam Imperio insidietur. at Maternianus nauata principi opera; siue id re uera manes significauerant, siue alioqui Macrinum perosus, rescribit Antonino Macrinum esse, qui insidietur Imperio, eumq; de medio tollendum. et tamen hac sedula diligentia efficere non potuit quin ab eodem Macrino interficeretur. Sed cur ista consector impensius, longus sim si Mathematicorum et Astrologorum uanitates, sub quorum nomine omnes hariolationis species continentur. si edicta singula, si Senatusconsulta, si principum constitutiones, si pœnas quibus isti sortilegi toties sunt affecti uberiori calamo prosequi uelim. Illud in memoriam reuocasse sufficiet posteriores ætate Cæsares, Mathematicas continuis istorum aruscatorum offutijs, atq; mendacijs inquinatas liberalium prius artium prærogatiua decoratas, earum numero adscriptas diutius noluisse. una ex his dempta Geometria, quam Reipublicæ utilem, et reliquis artibus necessariam Plato philosophorum princeps edixit. adeoq; Mathesis nomen odio prosequtos, ut ipsam Geometriam sub huius nuncupatione comprehendere duxerint nefas, ne nominis affinitate aliquid culpæ contraheret, et paucos sui studiosos haberet. ac proinde nemini mirum esse debet si a Diocletiano, et Maximiano Cæsaribus sit rescriptum Artem Geometriæ discere atque exercere ad publicam pertinere utilitatem: Artem uero Mathematicam damnabilem esse et interdictam. et merito, nam cum nullum sit flagitium in quod isti iudiciarij Astrologi, ob uilem stipem, et turpe compendium non procurrant. Felicitati temporum uisum est consentaneum artem hanc omnino prohibere, et pœnas non solum in magistros illam exercentes, sed etiam in eandem addiscentes cum librorum corruptione distringere. ut mirum sit animaduertere, quomodo mitissimi alioqui principes assiduis molestijs, quibus ob hanc artem conflictabantur. omnem in hijs puniendis humanitatis sensum amisisse uisi fuerint. si quidem aut fama spoliatos. aut bonis exutos; aut extorres

exilioq; multatos, aut intra carcerum septa pædore et squallore marcescentes, longaq; tabe consumptos, aut post tot perpessas miserias capite punitos, aut quod miserrimum omnium est, diris flammarum exustionibus mancipatos esse uoluerunt. porro Iustinianus, qui tot leges aduersus Mathematicos sanxit, ita hoc hominum genus horrebat, ut si quis in eius comitatu deprehenderetur Mathesis studiosus summis ad eculeum usq; tormentis discerptus temeritatis suæ lueret pœnas.

Hæc ab animi constantia, quam uera uirtus solidam atq; inconcussam reddit, profecta uideri possent, nisi hanc artem a Christianæ fidei præceptis aberrare innumeris penè in locis insequentes Orthodoxæ pietatis scriptores docuissent. Basilius Magnus Homilia VI. in Genesim. Augustinus de Ciuitate Dei. libro I. capite p. ii. et iii. Idem libro II. super Genesi cap. XVII. et libro II. de doctrina Christiana cap. ii. et sequenti. In Enchiridio pluribusq; alijs in locis. Hieronymus non uno in loco testatur. Ex opproprijs Ægypti et reliquijs Idolatriæ esse requirere stellarum cursus. et futurorum ex eis euenta rimari. Gregorius Homilia X. in Matthæum. Eusebius de Præparat. Euangelica libro XIIII cap. IIII, et libro VI. cap. VIIII. Tertullianus, Theodoretus, et alij recentiores, et auctoritate, et doctrina pollentes. Hæc nanq; facultas, uetustis sanè temporibus Pharaonem, Saulum, Achabum, et Sedechiam, quia contra diuinum mandatum hisce se artibus initiari passi essent, Regno spoliatos, in seruitutemq; abductos, ac grauiter punitos diuina testis est scriptura Exodi cap. VII. et libro primo Regum cap. VIII. et III. Regum cap. XXII. Nec uideo quare a sacris prauæ doctrinæ Disquisitoribus omnino prohiberi non debeat. quæ tot mala in Ecclesia Dei peperit, ubi etiam Mathesis, et Astrologia solis naturalibus inniteretur principijs, nihilq; commune cum Augurali disciplina, Extispicina. Magia, et cæteris artibus a nobis supra fusius enarratis haberet. adhuc esset damnabilis et improbanda propter nimium curiositatis periculum. quam a Locrensibus crimini aliquando datam esse in Multiloquio auctor est Plutarcus. Si quidem Ludouicus Cælius Rhodiginus

in libro ix. cap. xx immensi et laboriosi sui operis scri-
bat prauam et execrandam Manichæorum hæresim
ab Astrologia, et Mathematica sumpsisse initium, cum
illius tempestatis homines syderum, et planetarum
pulchritudine capti, quos haberent influxus, et quã
in homines potestatem curiosius scrutari, et inuesti-
gare cœpissent, cumq; indefesso hoc studio se acutius
cernere crederent, in media luce cæcutire, et nihil
uidere experti sunt. liberum arbitrium, quod Deus
in animis nostris indidit, summo cum liuore, et im-
pietate negantes. quam bene nos Augustinus admonet
Astrologiam liberi intramus, ut exeamus serui, et men-
daciis emptis libertatem illis nostram erogamus. Ab
hac eadem syderum et planetarum inuestigatione
refert Seruius Sulpitius libro historiæ sacræ secundo
magnum illum uirum claritate natalium conspicuum,
ingenij acumine, et doctrina præclarum, omnibus
animi, corporisq; dotibus ad inuidiam usq; felicem
Priscillianum, quasi ab impetuoso turbine abreptum
fuisse, ut qui prius cum summa totius Ecclesiæ lætitia
Christo nomina dederat, paulatim planetarius ef-
fectus non sine fidelium lachrymis ab eadem Ecclesia
desciuerit. Hæc eadem facultas, si facultatis nomen
Astronomorum somnia merentur. Heraclium fortis-
simum alioqui Imperatorem præcipitem egit, nam
cum Maumethis duces eundem hisce præstigijs plusquã
imperatoriæ conueniret Maiestati addictum offen-
dissent, non difficili negotio Syriam, Damascum, et
Arabiam Imperij prouincias, Maumethis secta introduc-
ta, et Christi lege abacta occuparunt. quemadmodum
diserte scribit M. Antonius Coccius Sabellicus libro
Aeneadum VI. cap. VIII. Alphonsum quoq; Aragonum
Regem, quia tabulis Astronomicis studiosius operam
nauaret, adeo in suo regno tutando, et gubernando
accepimus remissum, ut non modo illius Regis, sed
subditorum uices dolere sit coactus Gomezius in histo-
ria Iacobi primi Regis Aragonum libro XVIII, ut quo
quo nos uertamus appareat hanc artem esse damnabi-
lem atq; improbatam. Illud certe constat in primis sa-
crosanctæ Ecclesiæ cunabulis, quæ quo propius a Christo

domino nostro aberat, eo melius diuinæ illius uoluntatis arcana intelligebat, Mathematicos et Astrologos adeo male audisse, ut Orthodoxi eosdem tanquam scopulos Acroceraunios euitarent, et cum hÿsdem participare non permitterentur. ac propterea sacer Antistes Epiphanius in libro de ponderibus et mensuris testatum reliquit Pontium Aquilam celebrem alioqui scriptorem, et diuinarum litterarum interpretem non alia ratione ab Ecclesia Dei fuisse expulsum, quam quia Geniturarum inspectionibus, et natiuitatum horoscopis uacaret, ex quo Augustinus in libro de Dæmonum natura optime collegit post Christum, per sacrum lauacrum susceptum non licere genituram alicuius interpretari; qua de re fusius Ambrosius Mediolanensis Antistes omnino uidendus libro in Hexameron. IV. Idem autem magnus pater Augustinus super Psalmo LXI. refert Mathematicum quendam opinione uulgi satis clarum artis suæ uanitate pertæsum, diuinoq; spiritu afflatum in Christi fidelium cætum uenire concupisse; nec prius admissum quam uniuersos artis libros incendendos tradidisset. cuius illa sunt uerba. Perierat iste non quæsitus, inuentus adductus est. Portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, et illis in ignem missis ipse in refrigerium transÿt. Et hic mos olim dignus commendatione fuit, ut qui huiusmodi ludibria professi essent. si regenerationis lauacrum susci pere uellent, et Christi sacris initiari, eorum prius de Mathesi et Astrologia libri uniuersa spectante Ecclesia flammis subderentur. Sic diuinus ille pictor, qui Apostolorum acta æternis mandauit monumentis cap. XIX testatus est. Multi ex his qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus; quem sane locum, Aureum illud eloquentiæ flumen Chrisostomus et Venerabilis Beda sic interpretati sunt ut putarent istos libros nequaquam de prisca Deorum religione, eorumq; ritibus fuisse, sed Mathesim et Astrologiam Iudiciariam complexos, quos ideo curiosos appellat quia nascentis Ecclesiæ fuit consuetudo, ut hominum errata aliquo infirmitatis humanæ nomine cohonestaret. et fidelibus ostenderet, quod hæc ars curiositatis,

et non ueritatis sit plena, et quod sui studiosos decipiat. Insuper memoriæ proditum est Alexandrum Tertium summum in Ecclesia Dei Pontificem a sacro altaris ministerio sacerdotem quendam per integrum annum prohibuisse, quia super rebus sibi furto sublatis Mathematicum, et Astrologum consuluerat; ita referente Io: Pico Mirandulano libro contra Astrologos primo; a quo desumpsit Pereyra in Genesim Tomo primo libro II. cap. p. quem nec consulere licet pro re speciem boni omnino habente ut pro domo facienda, uel ineundis coniugijs, quod a Martino summo pariter Pontifice hisce uerbis in Synodo uetitum fuit. non decet Christianos aut Lunæ cursus, aut stellarum, aut inanem figurarum fallaciam pro domo facienda, uel sociandis coniugijs obseruare. præter autem scriptores a nobis supra citatos uanitatem Matheseos exagitantes uideri possunt, quæ M. Tullius libro de diuinatione II. quæ Seneca libro Naturalium quæst. II. cap. XXXII. Auicenna libro ultimo primæ. Franciscus Mirandulanus de Pranotionibus libro II cap. II. conscripserunt. et quid præterea Concilium Toletanum, et Bracharense primum cap. IV. determinet. ut missa faciam quæ doceat Ius Canonicum in secunda parte Decreti p quinque quæstiones continuas, et quid iubeant sacræ, tum Pij V. tum Sixti V. summorum Pontificum contra Mathematicos inuulgatæ Constitutiones.

Hunc demum sermonem duabus tantummodo concludam auctoritatibus, altera hominis Etnici suadentis apud Minutium, ne terminos humilitatis nostræ, transcendamus futura per sydera inuestigantes. Altera diuinæ legis præcepto hoc nobis prohibentis. Audi Etnicum sic uere loquentem. Tantum abest ab exploratione diuina humana mediocritas, ut neque quæ supra nos cœlo suspensa sublata sunt, aut scire sit datum, aut scitari permissum, aut scrutari religiosum: beati satis, satisque prudentes, si secundum illud uetus sapientis oraculum nosmetipsos familiarius nouerimus. sed quatenus insano, aut inepto indulgentes labori, ultra humilitatis nostræ terminos euagamur, et in terram proiecti cœlum ipsum, et ipsa sydera audaci cupiditate transcendimus: inscitiam prodimus nostram. qua sane monitione nihil ab Etnico grauius

audiri potest. Sed quid alienis opus est auctoritatibus?
quando Deus optimus, Maximus has omnes uanitates, et
curiositates nobis interdixerit? Estne aliquis sacrarum
litterarum adeo ignarus, cui lex illa diuina non occur-
rerit. Non inueniatur in te, qui filium tuum lustret,
nec diuinus apud quem sortes tollas. nec consentias ue-
nenatis impostoribus. qui dicat quem conceptum in
utero mulier habeat. quoniam fabulæ seductoriæ sunt.
nec intentes prodigia; nec interroges mortuos; non inue-
niatur augurator, nec inspector auium, nec maleficus
aut incantator, nec Pythonem habens in uentre, nec
haruspex, nec portenta inspiciens; nam ista omnia a
Deo sunt damnata, propter has enim abhominationes
eradicauit Chaldæos a facie sua. Diuinæ huic legi
addamus grauem illam comminationem a sacro uate
Esaia capite XXXXIIII. promulgatam. Ego sum domi-
nus irrita faciens signa diuinorum, et hariolos in fu-
rorem uertens: conuertens sapientes retrorsum, et eorum
scientiam stultam faciens. I nunc, et his artibus a Deo
* 24. uetitis animum desponde.* Quod si te graues Etnicorum
sententiæ, si te uerbum diuinum omni gladio penetran-
tius minime mouet. moueat capitis pœna istis arus-
catoribus a Constantino Cæsare aqua lustrali renato,
comminata. Augurum inquit et uatum praua confes-
sio conticescat. sileat omnibus perpetuo diuinandi cu-
riositas, etenim capitis supplicio ferietur, gladio ultore
prostratus. Sed nimis illiberale est atq; seruile pœnis mo-
ueri, Veritas nos moueat, ut cognitis istorum Mathemati-
corum et Astrologorum uersutÿs spes nostræ ad Deum
propius accedant, in ipso uigeant, et efflorescant. Quis
enim hominum necessitatibus ualidius, et opportunius
adesse potest quam Deus, cuius proprium est benefacere,
et iuuare: quis miserÿs nostris citius occurrere. quam
Deus? quis magis uota adimplere quam Deus? qui
nihil in se ipso habet præstantius, quam ut prosit, nihil
bonitati suæ accommodatius, quam ut hÿs opituletur
qui eundem rerum omnium opificem, et conseruatorem
agnoscunt. hoc mihi non poeta Plautus sed potius hac
in re Paullus secundum pietatis Christianæ præcepta
in Amphytrione monuisse uidetur.

Bono animo es adsum auxilio Amphytrio tibi, et tuis
Nihil est, quod timeas hariolos, haruspices.
Mitte omnes, quae futura, et quae facta eloquar.
Multo adeo melius, quam illi, cum sim Juppiter.
quod etiam Homerus licet breui nos admonet sententia
Non auguribus, sed soli Deo credendum.* * 25

In eo igitur est nobis quammaxime elaborandum, ut non per uanas Astrologorum et Mathematicorum praedictiones, sed per bona pietatis opera homine Christiano digna iuxta uenerandam principis Apostolorum sententiam Epistola ·II· cap· primo registratam aliquid certi de fide, uita, et spe nostra respondere ualeamus. Fratres, inquit, magis satagite, ut per bona opera uocationem, et electionem uestram certam faciatis. At diuinū igitur praeceptum omnes nostrae uoluntates sunt dirigendae, et tanquam ad uerum uitae scopulum, et horoscopum collimandae, et ab ipso solum tanquam a primo mobili, et non ab astris, aut planetis mouendae. Artem et libros damnemus qui nos a Deo et diuina prouidentia abducunt, quorum lectio inficit animos, mentes deprauat, mores corrumpit, et liberi arbitrij potestatem a Deo summo beneficio nobis elargitam tollit.* Vt mirum uideri debeat, qua frontis oris\[q\]; duritie unus Julius Firmicus ab Constantini usq\[ue\]; temporibus his adiit Mathesis, et diuinationis de futuris contingentibus partes suscipiens, non alio sane praetextu, nisi ut improbo facinore ueram illam redderet sententiam. nullam causam esse tam malam, et deploratam, quae patronum nequiorem non inueniat. * 26

Nec mihi dixeris, te ista quidem non credere sed curiositatis gratia sciscitari: aut legere. nam respondemus uenenum semel haustum, in nostra non esse potestate euomere, et prius cor occupare, quam cautio et antidotū adhiberi possit. propterea recte monebat Cicero non esse contemnenda principia, sine quibus magna constare non possunt. quod etiam eleganter tetigit Ouidius.

Principijs obsta; sero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

uitam igitur nostram sic instituamus; ut in omni tam secunda, quam aduersae fortunae statu, uanis istorum

istorum impostorum prædictionibus non egeamus, sed hi non secus ac prudens Vlysses Syrenum cantibus aures occludamus. quod eueniet, si obfirmato uirtute pectore, in secundis rebus, quæ sapientes quandoque fatigant, non efferemur. sed præsentibus utentes meliora semper speremus, et in aduersis ne deprimamur. sed cum Ouidio paullo ante citato dicamus.

Tu ne cede malis, sed contra ardentius ito.

ni forte præstet Venusini poetæ sequi sententiam.

Etiamsi fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

hac enim ratione fiet, ut in sola Dei prouidentia sperantes Mathematicorum et Astrologorum prædictiones irrideamus, et nauci faciamus. Ex disputatis igitur dicimus

Artem Mathematicam, prout uulgo sumitur, uanas et deploratas Augurum, Haruspicum, Vatum, Diuinorum, Genethliacorum, Hariolarum Chaldæorum, Somnior. interpretum, Astrologorumq. ineptias continentem, nedum sacris Cœsarum rescriptis improbatam, sed a luce quoq. diuino uetitam esse atq. ideo a Christianis fugiendam concludimus.

MADRITI
MDCXXXV
IIII. NON. AVGVSTI
LAVS DEO
Jacobus Valerius J.C. et Patritius Mediolanensis

Additiones quædam.

* 1 Solis circuitione, an melius solis decursus, lunæq; mutationes.
* 2. Factorem Deum. Appone. Nam is demum huic arti debitum honorem tribuit, qui inspectis, observatisq; sideribus mentem in illorum opificem dirigit, quiq; hos vires, et quam habent in res inferiores efficaciam Deo asserit. Illud identidem exclamans Ouidius
Tu stellas numeras, quarum tu lumina solus
Signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti.
quod ante ipsum præmonuerat diuinus uates Hebræus. Verbo tuo domine cæli stabiles sunt, et spiritu oris tui consistit omnis uirtus, et ornatus eorum.
*3 Palladius.
* 4 Sed etiam conseruationi, quandoquidem colonis curæ sit frumenta senescente luna in horrea conuehere, quo sicca permaneant, et a gurgulionibus minime impetantur, ne alias aut situs renascantur, aut uitium contrahant.
* 5. Quod si præstituto tempore citius uindemia fieret, citissime acore uitiaretur.
* 6 Lanam tondere.
* 7. Agricolæ quoq;, lignatores, et carpentarij Syderum incrementa, et decrementa observant, sub quibus insitiones faciant, siluam incidant, et ligna secent, quominus carie infestentur, minusq; uermiculis, et teredini obnoxia sint, alias parum, aut nihil eorum arti absq; hac obseruatione profutura.
* 8 Cum corpora sublunaria cuncta, herbæ, frutices, arbores, uirgulta metalla fodinæ, lapides, et subterranea quæq; motibus subsint cœlestibus. syderumq; influxu, ac planetarum uigore incrementum accipiant, seruentur, foueantur ac uegetentur.
* 9 a ~~Idem~~ Galenus de diebus decretorijs. [modo ne suppositicij sint, atq; illi falso adscripti; ~~tum~~ et Hippocrates] de aere et locis, duo præcipua medicæ artis lumina testantur non alia ratione hos dies lunæ decretorios in morbis acutis quam per Mathesim deprehendisse
* 9 Idem de prognosticis egrotorum, et de morbis uulgaribus commentario p. necessarium, inquit, in unaquaq; regione ubi artem medicam quis profiteri uelit prospicere cuiusq; syderis exortus obitusq;, quia ab his anni tempora circumscribantur.
* 10 mutationes humoribus alijs emergentibus uel subsidentibus.
* 11. a Cuius lunæ, solisq; coniunctionis, et quas eadem tempestates in Oceano præsertim Gallico, et Britannico excitare soleat si Cæsar non ignarus fuisset, classem illam proculdubio seruasset, quam amissis armamentis, conuulsisq; antemnis, uniuersa propemodum elisit.
* 11. b. Qui nulla certa, et probabili ratione, nulla demonstrationum euidentia, fortunas, euentaq; rerum, et contingentium causas, hominumq; fata explorata, compertaq; se habere profitentur.
* 11. c Quibus fallacissimis promissionibus mirum in modum imponunt, et ludificantur,
* 12. Hinc detectis eorundem laruis.
* 13. Odio et despicatui haberi cœpit.
* 14. quem summis in cælum laudibus Flauius Vopiscus effert, asserens in uita Aureliani, nihil illo uiro, sanctius, uenerabilius, diuiniusq; inter homines fuisse.

*14 b Et ab unius Aquinij responso tanquam ex tripode prolato ut omnem spem et fiduciam Populus Romanus in illius dictis collocaret, hysque fixius inhæreret,

*14 a. Propterea dicimus astra non animam imperare, nec hominis mentem, aut voluntatem illorum vi concitari, anima namque non est elementaris, et astra si quid efficiunt, non agunt, nisi in ea, quæ ex elementis constant, atque eorum generatione conflantur.

*15 Potestate non sit, ut ab patre potius iuvene quam sene, sub uno mense potius quam alio generemur, et nascamur, quod simus vultu blando et hilari; facie honesta et liberali; fronte lata et explicata; garulitate amabiles et gratiosi; quales puerulos Augustum amasse, cum quibus etiam animi recreandi causa nucibus ludere solebat, Suetonius in eius vita testis est. vel simus, ut amicus ille noster Madriti ore fœdo et distorto; fronte contracta et obducta; oculis cavis, et torvis, ~~oculis~~ semperque in terram defixis, labris exporrectis, dentibus exesis, et prominentibus; taciturnus, cogitabundus a Persio Satyra Tertia graphice nobis depictus.

Obstipo capite, et figentem lumina terris
Murmura, qui secum, et rabiosa silentia rodit
Atque exporrecto trutinatur cuncta labello.

*16 Independentes, constituit enim Deus, ut Ecclesiastici cap. XV. ait hominem in manu consilij sui, ut eius electio atque arbitrium liberum sit, liceatque homini arbitratu suo, ac vi insitoque motu complecti salutaria, et refugere noxia; ac propterea sideribus etiam in contrariam partem inclinantibus.

*17. Sequatur, Cum plerumque, ut Galenus asserit, mores corporis temperaturam sequantur, quamvis et in corporis actionibus Plinio nostri Historiæ II. cap. VII. assentiri soleam, educationem nempe maximam habere vim, et plurimum hac in re momenti obtinere; nam si plurium hominum studia, mores, propensiones, conatus, atque molimina libeat excutere, invenies non ab astris, sed ab educandi ratione, et patria consuetudine præcipua pendere.

*18. Quo enim hominis libertas? si quis ad inevitabilem fatorum necessitatem humanas actiones referre velit; si a principio syderum motu hominis mens, et voluntas præpedita non possit recedere; cur ego vitia abjicere, animum ad virtutes [illegible] cogitem? si nulla virtutis actio, nullum ad res magnas studium, applicatio nulla mihi sit arbitraria? si nascenti mihi dictum sit qualem, aut bonum, aut malum me esse opporteat? cur introductæ in Republica leges? cur necesse fuerit illis obsequi? si maleficia declinari nequeant, cur præmia in bonos? cur exerti in Cethegum, et Catilinam gladij, cur ~~culei~~ in parricidas culei, cur flammarum exustiones in humani generis hostes paratæ? si ut sint tales fato aut necessitate inevitabili adigantur? magna fit hominis voluntati iniuria, si vinculis necessitatis adstricta virtutes abhorreat, et vitia consectetur. Humana conditio nostra deploranda, Deorum munus improbandum, Dij non timendi, nec thure colendi, aut prece fatigandi, si fato prohibente, non possint, aut velint

quicquid de me statutum est quidquam inflectere.

*19 Et experientia rerum magistra demonstret, iuxta Leuini
Lemnij medici præstantissimi sententiam de Astrologia
uiu sententiam, amphoram seu uini cyathum generosi
meracius haustum plus hominem ad arma concitare,
et plus sapidum Bulbum, uel Erucam salacem, aut
tuberes uentosos, Deorum (uigum) inuentum Venerem excitare
quam calestes (iræ) Martis ~~iræ~~ (in) bellum, uel fecunda Vene-
ris influxus ~~[illegible]~~ in amplexus impellere.

*20 Patimur. cum impendentis mali metus aliquando sit
ipso malo grauior.

*21 Hinc Seneca in ludum Claudij eosdem sugillans patere,
inquit, Mathematicos aliquando uerum dicere, qui
Claudium postquam Princeps factus est, singulis mensi-
bus, singulis annis efferunt, et tamen non minimum est
si errent.

*22. Non enim sunt ista a D. Optimo Maximo secundum diuini
uatis testimonium imposita Psalmo CXLVI. Innumeras
stellarum myriadas, et singulis nomina imponis, qua-
si talia forent, utiq; apud omnes eodem nomine et
effectu compellarentur atq; essent, et m non ambigitur
apud omnes orbis nationes esse diuersa.

*23. Sic Soli inexhausto luminis fonti debemus, diuina m
prouidentia iubente, cui omnino subest, et seruit, qd
in hominis utilitatem sua ui et calore in singulos annos
efficiat. Cælum nitescere, arbores frondescere

Vites lætifica pampinis pubescere
Rami baccarum ubertate incuruescere
Segetes largiri fruges, florere omnia
Fontes scatere, herbis prata conuestirier.

*23 ignaræq; mentes lucificarentur.

*24. Si uis ab eodem, et ab eius sanctis uatibus sublanari et
præcipue ab Esaia cap. XLVII. dum istam uanitatem expro-
brat populo Hebræo splendidis istorum promissionibus de-
luso, atq; auida spe futurorum destituto. Stent inquit, et
saluent te Haruspices cæli, qui contemplantur sydera
et supputabant menses, ut ex eis enuntiarent futura tibi
ecce facti sunt ut stipula. ignis enim consumpsit illos.

*25. Est enim Deus uniuersalis et prima omnium caussa, secun-
da uero et ab eodem dependens ac particularis fatum,
natura rerum, astra, quorum omnium ordinem cur-
sum effectum, et uirtutem sistere, inuertere mutare mi-
tigare et tollere potest sic Aquiloni aufert uim propriam
et illius dat Affrico uirtutem maria in solidam terram
conuertit, solis sistit decursum, mortemq; in uita commutat.

*26 per hanc enim Religioni fit iniuria, pietati iactura infertur
dum (nos) nostraq; omnia syderum necessitati superstitiosius adstringit.

tem

□ 1 Aelianus de Varia Historia lib. p. cap. 11. et formicæ annonæ dissic-

□ 2 Regis et Mathematici, quam quia cum uiueret, et lato per occidentem imperio potiretur, non ut cæteri Reges plerumq; facere consueuerunt inter uoluptates et libidines, sed ani-mum et ingenium ad bonas artes toto studio, et labore excolendas, et præcipue ad unam syderum scientiam con-quirendam uertens omnem fere ætatem ad extremam usq; senectam in eo monte consumpsit, ut uniuersum cæli cursũ omnemq; syderum notitiam, et potestatem addisceret, quã tamen perfecte addiscere, assequi non potuit. quo tempore Hercules Iouis et Alcmenæ filius excelsa tanti Regis fama permotus, relicta Europa hanc mundi partem eo sæculo ultimam existimatam adiuit, Spheramq; ab eo didicit quam deinde in Græciam communi omnium utilitate in-uexit et communicauit.

□ 3 Caracter diuini sermonis est prædictio futurorum scdm Orige-nem libro 3. contra Celsum.

□ 4 Et Esaias. cap. 41. Anunciate nobis, quæ in futurum uen-tura sunt. et Dij eritis.

□ 5. Iuxta Ciceronis lib. 3. de nãta Deorum sententiam. Effuge-re enim, inquit, nemo id potest, quod futurum est. Sæpe enim ne utile est quidem scire, quod futurum sit, miserum enim est nihil proficientem angi. nec habere, ne spei quidẽ extremum, nec cõe solatium.

□ 6. Quippe cõmemorant Achiui Iouem ipsum in figuram Columbæ uersum esse cum amaret Phtiam Virginem cõmorantem in Aegio. Aelianus de Var. Hist. cap. 15. lib. p.

□ 7. Et Manilius Astronomicon libro secundo.

Nanq; canam tacita Naturæ mente potentem
Infusumq; Deum cælo, terrisq;, fretoq;
Ingentem æquali moderantem fædere mundum +
Totumq; alterno consensu uiuere mõlem +
Et rationis agi motu, cum spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atq; irriget orbem,
~~Per cunctas~~ Omnia peruolitans, corpusq; animale figuret.

□ 8 vnde Idem Manilius in initio sui operis.

Et conscia Fati. Sydera.

INDEX

Rerum memorabilium quæ in hoc Tractatu continentur.

B.

C

D

E

F

G

H

I

L

M.

N.

O

P.

Q.

R.

S

T

496 Valerius (J.) Codice de Maleficis et Mathematicis, de Vanitate Astrologorum, &c. 366 ll. *carefully written*, folio, *vellum, Matriti*, 1635 ; An original work in Latin, with 6 Drawings of Emblems, sm. 4to, *vellum, with arms on sides*, and 3 others (5)

(i) Hodgson &c. XI.22.15

(ii)

Is the first half of the above a description of this, or of another MS. of the same work.

1915 ?

W. O. was tagged to have written this on 22.XI.19

In Madrid
1703. 11. Agosto
Ex. di B. 3
7 1 : 10 Mon.ta Ver.ta